

P V I S



1 6 0 3

PROPOSITIONES,
COMPLECTENTES
SUMMAM PRAECIPVO-
RVM CAPITVM DOCTRINAE
Christiane, sonantis, Dei beneficio, in Aca-
demia & Ecclesia VViteber-
gensis.

DE QVIBVS CONFSSIONEM
suam edituri sunt ad diem 5. Maij,
Anno Christi 1570.

M. Henricus Mollerus Hamburgensis,
M. Fridericus VVidebramus Pefnicensis,
M. Nicolaus Selneccerus Noribergensis,
M. Christophorus Pezelius Plauuensis,
M. Iohannes Bugenhagenus VVitebergensis.

ET DE IISDEM RESPONDEBUNT
ad diem 26. eiusdem Mensis
& Anni:

M. Casparus Eberhartus Schnebergensis,
M. Sigefridus Saccus Northusanus,
M. Iacobus Lechnerus Austriacus,
M. Iohannes Garcaus VVitebergensis,
M. Adamus Rotherus Nouoforensis.
M. Georgius Langenvoit Naumburgensis.

Pro Licentia in Theologia
consequenda.

VVITEBERGÆ

EXCVSÆ TYPIS IOHANNIS
Schuuertelij Anno M. D. LXX.

6.

g.

FRONTISPIZ
COMPLIMENTES
PREFATIUM

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA

DE
SACRA
SACRA



PROPOSITIONES, COMPLE-
Etentes summam præcipuorum Caputum
doctrinae Christianæ.

I.

NEcesse est Deum sic agnosci & inuocari, sicut ipse patefecit se certo verbo, & testimonijs diuinis. Ideo enim Deus immensa bonitate ex arcana sede sua prodiens, allocutus est homines, & verbum certum ac expressum non solum tradidit per Filium, sed etiam scribi per Prophetas & Apostolos voluit, & testimonia illustria addidit, ut certa norma esset, quam in omni inuocatione, & cogitatione de Deo, animi hominum intuerentur. Et ad hanc normam sæpè Deus seuerissimis mandatis totum genus humanum alligat.

II.

Sunt autem duo capita præcipua, quæ Deus, vt rectè agnosceretur & celebraretur, perspicuè in verbo comprehenso scriptis Prophetarum & Apostolorum, de se patefecit: nimirum essentia & voluntas Dei. Horum utrunq; in sola Ecclesia rectè cognoscitur, & his discernitur ac separatur Ecclesiæ inuocatio ab alijs impijs inuocationibus.

III.

Nouit utcunq; ratio humana naturaliter, esse Deum. Nam ideo Deus ordinem in natura, & ordinatos motus & effectus instituit & homini indidit mentem, quæ intelligeret numeros, ordinem, discrimen honestorum & turpium, vt hic ipse ordo, & noticia, quæ menti naturaliter sunt insitæ, testimonium sint de ipso, & ostendant esse Deum, & doceant qualis sit, videlicet mens sapiens, verax, bona, benefica, iusta, casta, vindex scelerum. Hæc & Plato in descriptione Dei

A ij com

complexus est; Deus est mens æterna, causa boni in natura.

IIII.

Sed hæc consideratio in tanta caligine & depravatione naturæ nostræ obscurior est: quia naturam rerum nunc foris tantum aspiciamus, & noticias in mentibus nostris minus illustres circumferimus: Est & assensio languidior, & concursu dubitationum sic agitur, ut cum res in vndis motis inspectæ, non offerunt se oculis stabiliter: Et accedit ad has fluctuationes multiplex ignorantia. Non scimus quis sit Deus, ad cuius agnitionem & celebrationem homines sunt conditi: Nec certo statuere possumus, quomodo erga nos affectus sit, an recipiat & exaudiat indignos, & cur recipiat.

V.

Vagantur igitur animi, ignari patefactionum diuinarum, & cum à vero Deo aberrant, nec certi sint de exauditione, preces fundunt, quæ sunt rumores vacui, verbaque inania: Et par sollicito fabula somnio, ut cum Hecuba apud Euripidem exclamat: O Iupiter, quicquid es, siue hoc cœlum, siue mens insidens huic cœlo, quanquam iam diu ignavos opitulatores inuoco: Aut cum ille apud Virgilium clamat:

*Aspicias hæc? An te, genitor, cum fulmina torques,
Nequidquam horremus, cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?*

VI.

Edi autem non negligit Ecclesia considerationem mirandorum operum Dei, quæ sunt ostensa in creatione: & radios sapientiæ & legum diuinarum transfusos in hominum mentes non aspernatur furore Epicureo aut Cyclopico; Tamen & firmiora & illustriora testimonia

monia de Deo alia habet proposita, in voce diuina comprehensa, in scriptis Prophetis & Apostolicis: & in multis operibus Dei extraordinarijs, quæ voci diuinæ sunt addita.

VII.

Ostendunt extraordinaria opera Dei, quæ & miracula nominantur, Deum non esse ἐντελέχεια infusam creaturis, nec alligatam causis secundis, sed aliud esse agens distinctum à creaturis, bonum & liberum, & quod possit aliter agere, quam ceteræ causæ secundæ. Sed vox doctrinæ diuinitus patefactæ, quæ & illis ipsis miraculorum testimonijs confirmatur, multò clarius ac plenius monstrat ipsum Deum, quis sit, & quomodo ab idolis & commentitijs numinibus discernendus sit, & qua voluntate complectatur genus humanum, in primis Ecclesiam, & cur preces hominum recipiat & exaudiat, & quomodo ab hominibus coli & celebrari velit, non solum in hac vita, sed etiam in tota æternitate.

VIII.

Expressè enim & sine omni dubitatione affirmat vox diuina: certò esse Deum, & refutat omnes omnium gentium furores, quæ vel Deum esse negarunt, vel de prouidentia dubitarunt, Monstrat autem vnum verum Deum conditorem cœli & terræ, & conseruatorem omnium creaturarum, colligentem sibi ex genere humano Ecclesiam per Filium, & propter eum, qui & iudex futurus est post vniuersalem resurrectionem mortuorum, & reijcit ac refutat monstrosam Deorum multitudinem, quam tetrè ac impiè finxerunt multi Ethnici.

IX.

Eadem vox diuina, in qua & nos cum Ecclesia Catholica & Orthodoxa omnium temporum reueren-

A iij ter ac

ter acquiescimus, ostendit hunc ipsum verum & vnum Deum, esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nec appellationes seu nomina tantum distinguit, sed re ipsa & proprietatibus distinctis hæc tria ὑψίσταμενα in una eademque diuinitate inter se discernit. Ac proprietates monstrat duplices, quasdam internas, ut gignere, nasci, procedere: alias verò externas, sumptas à beneficijs erga Ecclesiam.

X.

Sic enim describit hæc ὑψίσταμενα: Patrem quidem, quòd non sit natus ex alio, nec aliunde procedat: sed quòd ab æterno genuerit Filium imaginem suam, & quòd à Patre & hoc ipso Filio procedat Spiritus sanctus, & quòd Pater unà cum Filio & Spiritu sancto omnes res creârit, & earum substantias sustentet. De Filio docet, quòd sit integra & substantialis imago Patris, genita à Patre, & quòd mittatur inde usque ab initio conditæ Ecclesiæ, ut patefaciat Euangelium, & quòd certo tempore assumpserit humanam naturam, & sit mediator, redemptor, iustificator & saluator. De Spiritu sancto affirmat, quòd procedat à Patre & Filio, & quòd sit amor substantialis, & lætitiæ coæterna inter Patrem & Filium, & quòd mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiæ in Deo acquiescentem in eis accendat, qualis est ipse.

XI.

Testimonia de uno vero Deo perspicua sunt: Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est. Deut. 32. Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. 4. Reg. 5. Verè scio, quòd non sit alius Deus, in uniuersa terra, nisi tu in Israel. 1. Corinth. 8. Scimus quòd nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est alius Deus nisi unus. Denique similia
multa

multa testimonia passim extant in Scriptura, quæ constanter & nos amplectimur, & execramur non solum Ethnicos furores, sed etiam Valentinianos, & Manichæos, qui horribiliter lacerarunt doctrinam de uno vero Deo.

XII.

Quòd autem hic ipse vnus ac verus Deus sit, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, illustris patefactio in Baptismo Christi ostendit. Ibi enim Pater sonat hanc vocem: Hic est Filius meus dilectus: Filius stans in Iordane conspicitur, & Spiritus sanctus specie visibili demittitur. Hæc patefactio ita manifesta est, ut Athanasius, quoties cum Hereticis disputauit, hanc vocem usurpare solitus sit: Ito ad Iordanem, & videbis. Idem confirmat institutio Baptismi nostri, de qua Christus inquit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Hæc verba cum ostendant nos recipi à vero Deo, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus, & nos vicissim obligari in agnitionem & inuocationem Patris, Filij & Spiritus sancti, rectè dixit Basilus: Baptizari nos oportet, sicut accepimus, credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

XIII.

Congruunt & cætera testimonia noui Testamenti. Manifestè dicit Angelus ad Mariam virginem: Spiritus sanctus superueniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, Iohan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: Ille testimonium perhibebit de me. Sic & Paulus sæpe loquitur: 2. Cor. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Ephe. 6. In ipso summo angulari

gulari lapide Iesu Christo, in quo & vos coedificamini
in habitaculum Dei in Spiritu sancto. 2. Corin. 1. Deus
qui nos uobiscum in Christo confirmat, nosq; iunxit, &
nos signauit, deditq; pignus Spiritus in cordibus no-
stris. Galat. 4. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum
Filij sui in corda uestra.

XIIII.

Necq; verò obscura sunt testimonia Prophetarum
in veteri Testamento. Sic enim Moses orditur historiam
creationis: In principio creauit Elohim cœlum & ter-
ram. Et paulò post, Dixit Deus. Et Spiritus Domini
ferebatur super aquas. Hunc locum enarrans Psalm: 33.
inquit: Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris
eius omnis exercitus eorum. In eodem cap. Moses deli-
berationem Dei describit, inquiens: Faciamus hominem
ad imaginem & similitudinem nostram. Et Gene. 19.
Pluit Dominus ignem & sulphur à Domino de cœlo.
Gene. 47. Benedicat pueris his Deus, qui pauit me usq;
ad hunc diem, & Angelus, qui me eripuit ex omnibus
malis.

XV.

Exod. 15. insignis descriptio unius veri Dei pro-
ponitur, qui populum Israel eduxit ex Ægypto: Do-
minus est fortis bellator, Iehoua est nomen eius. Dexte-
ra tua Iehoua percussit inimicos, & per Spiritum faciei
tuæ congregatæ sunt aquæ. Horum verborum opti-
mus interpres est Esaias cap. 63. Vbi est, qui Spiritum
sanctum posuit in eis? Qui eduxit dexteram Mosi
brachio maiestatis suæ? Qui scidit aquas ante eos, Spi-
ritus Domini ductor eius fuit. Sic in nouissimis verbis
Dauidis, 2. Reg. 22. Spiritus Domini locutus est per
me, Deus Israel dixit ad me, Defensor Israël locutus est,
qui iustus est gubernator hominum, & sic dominatur,
ut Domi-

vt Dominus timeatur. Et Psal. 67. ter repetitur appella-
tio Dei, & Filius Dei Immanuel nominatur Deus nos-
ter: Benedicat nos Deus, Deus noster: Benedicat nos
Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

XVI.

Perspiciuè discernitur Pater à Filio etiam in his
dictis: Psalmo 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es
tu, ego hodie genui te. Prouerbio. 30. Quis colligauit
aquas, quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes ter-
minos terræ? quod nomen est eius? & quod nomen
filij eius? Nosti ne? Psal. 110. Dixit Dominus Domi-
no meo, sede à dextris meis. Daniel. 9. Domine Deus
exaudi nos propter Dominum. Osee 1. Sic dicit Ieho-
ua: Ego miserebor domus Iuda, & saluabo eam per Ie-
houam Deum ipsorum: Non saluabo eos per arcum &
gladium.

XVII.

Hanc veram doctrinam de vno vero Deo, qui est
Pater, Filius & Spiritus sanctus, vt aliquo modo decla-
raret pia antiquitas, & aduersus Hæreticorum muniret
insidias: religiosè vocabula quædam vsurpauit, qualia
sunt: Trinitas, Vnitas, Persona seu ὑφίσταμενος, οὐσία, ὁμο-
ουσιον &c. quæ etsi illis ipsis literis ac syllabis in scriptura
expressa non sunt, tamen cum sententia scripturæ planè
congruunt, nec solum res easdem verissimè explicant,
sed etiam ad phrasin ac formam loquendi in scriptura
vsitatam proximè accedunt: Vt quia in scriptura Deus
dicitur ὁ ὢν παρὰ τὸ εἶναι, οὐσία inde nominata est, sicut &
nomen יהוה quod nulli creaturæ communicari voluit
Deus, nomen est essentiæ. Factum enim est ab יהוה
quod esse significat, vt hac ipsa appellatione ostendatur,
Deum esse vnã, simplicissimã, eternamq; & immen-
sam essentiam, à qua cætera omnia quæ sunt, esse suum
B habeant;

habeant: Trinitatis appellatio ex illustri patefactione
trium personarum in Baptismo Christi, & ex formula
institutionis nostri Baptismi sumpta est, & cum illustri
Iohannis Apostoli dicto congruit: Tres sunt, qui testi-
monium dicunt in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus
sanctus, & hi tres vnum sunt. Quod autem personam
Latini, id veteres Græci ὑπόστασις nominarunt: Quia vo-
ce Paulus vsus est, cūm Filium nominat χάρακ τῆς
ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς. ὁμοούσιον ex æquipollentibus di-
ctis scripturæ sumptum est, vt cūm Iohan 5. Christus di-
citur æqualis Deo, & cūm Paulus dicit, Christum esse
ἐν μορφῇ τοῦ θεοῦ. Et cūm toties scriptura Filio nomen
Iehoua tribuit, sicut & Iohannes de Filio dicit, οὗτός ἐστιν
θεὸς ἀληθινός.

XVIII.

Nec verò significat Trinitas, vt comminisci vides-
mus eos, qui doctrinam de tribus personis diuinitatis
oppugnant, aliquid abstractum à personis, vel aliquam
communem naturam seorsim consideratam, perinde ac
si extra personas Patris & Filij & Spiritus sancti trinitas
diceretur esse Deus: sed significantur nomine trinitatis
tres personæ in vna eademq; essentia ab æterno subsis-
tentes, quorum vnaquæq; ad alias relata, seu cum reli-
quis collata, distinguitur ab eis proprietate sua incom-
municabili. Nam quicquid singulis personis proprium
est, id incommunicabile esse rectè asserimus: Et tamen
hoc, quod Trinitas est, id in his personis est, extra quas
nullam imaginemur, vel deitatem, vel diuinitatis essen-
tiam. Vocabula autem ὁσιότης & ὑποστάσις sic distin-
guit Ecclesia, vt essentiam seu ὁσιότης nominet naturam
tribus illis personis communem, cūm ὁσιότης propriè si-
gnificet id, quod reuera est, etiamsi est communicatum.
Personas verò seu ὑποστάσεις vocat eos, qui in hac ipsa na-
tura

tura subsistunt. Est enim ὑπὸς αὐτοῖς seu ὑφ' ἑαυτῶν subsi-
stens viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabi-
le, non sustentatum ab alio. Hoc discrimen vocabulo-
rum perspicue monstrauit vetustas, quam pie sequimur,
cum confiteri se dixit Deum vnum quo ad essentiam, &
trinū, quo ad personas, seu cum in articulo de Deo dixit,
τρεῖς ὑποστάσεις εἶναι ἐν τῇ μιᾷ οὐσίᾳ αὐτὴ οὐσίᾳ τρισυπόστατον.
Estque mendacium impudens, quod noui architecti reli-
gionis, Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Fran-
ciscus Dauidis, & alij, qui vel tres essentias in Ecclesiam
important, vel vnam personam pro tribus ponunt,
adeoque veteres errores Praxeæ, Sabellij, Noëtianorum,
ἀλόγως πνευματομάχων, condemnatos veris Ecclesie
omnium temporum iudicijs, renouant, tetrè ac impiè
affirmare audent Trinitatem seu dogma de vno & trino
Deo, humanum commentum esse, catholicis Symbolis
incognitum. Has blasphemias non dubium est Diabo-
lum ferere, ut sint in hac extrema senectâ mundi, semina
& παρασκευαί Turcicæ impietatis.

XIX.

Et si actiones Dei internæ sint distinctæ, quia ne-
cesse est retineri distinctas proprietates singularum per-
sonarum diuinitatis: tamen externa opera Dei sunt com-
munia, sic tamen, vt discrimen & ordo personarum
non confundatur: Vt creatio, quanquam cōmune opus
est diuinitatis, tamen hoc ordine fit: Pater vult creatio-
nem & totum ordinem rerum, & exprimit hanc volun-
tatem per Verbum: quo dicente res fiunt, & ordine di-
stinguuntur: & Spiritu sancto simul creante fōuentur
res. Sic collectio Ecclesie per ministerium Euangelij,
& omnia beneficia, quæ in Euangelio exhibentur, sunt
quidem opera totius diuinitatis: Et tamen hoc ordine
tribuuntur singulis personis: Pater non mittitur: Filius
B ij & Spiritus

& Spiritus sanctus mittuntur, sed dissimiliter. Filius immediate profert Euangelium ex sinu Patris, & ostendit voluntatem Patris, & solus assumit naturam humanam, solus fit victima: Spiritus sanctus per Filium datur, qui sanctificat corda credentium, & tales motus in eis accendit, qualis ipse est. Sic & resuscitatio mortuorum, & vniuersale iudicium, etsi opus est totius diuinitatis commune: tamen immediate fit per Filium. Non enim videbunt impij diuinitatem: sed Filium hominis videbunt, sicut de hoc visibili iudicio dicitur: Pater dedit omne iudicium Filio.

XX.

Interna personarum diuinitatis discrimina, quamquam in tanta caligine & imbecillitate nostra non satis intelligimus: tamen vetustas vtcunq; declarauit, similitudine sumpta ab anima hominis, in qua sunt mens, cogitatio, quæ est imago rei cogitatæ: & motus, qui est impulsio spirituum. Hæc accommodauit antiquitas ad personas diuinitatis, præsertim cum vox diuina in appellatione τὸ λόγος ἔσπνεύματος ad naturæ nostræ considerationem nos deducat. Aeternus Pater est velut mens: Hic sese intuens & perfecte cognoscens, cogitatione illa gignit Filium imaginem suam. Sed nos formamus imagines euanescentes: Ipse verò gignit imaginem non euanescentem, sed ὁμοιωμένην ἢ ὁμοῦσιον, & vt in Symbolo dicitur: Lumen de lumine. In qua imagine lucent Patris sapientia & bonitas: Est igitur Filius integra imago æterni Patris cogitatione genita. Vt autem in homine spiritus verè sunt flammæ, quæ in omnium affectuum incendijs sparguntur, & cum motibus voluntatis non simulatis hæ flammæ congruunt. Sic Spiritus sanctus dicitur procedere à voluntate Patris & Filij: Quia est substantialis amor & lætitia coæterna
inter

inter Patrem & Filium, qua & postea diuinitas immensa bonitate nos sibi copulat, & nos lætitiâ complet, vt mater vitales spiritus effundit osculans infantem.

XXI.
DE FILIO DEI.

Vt autem agnitio Filij Dei fundamentum est Ecclesie, & ipsa vita æterna, iuxta hæc dicta: Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Et: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te vnum solum Deum, & quem misisti Iesum Christum: Ita vox diuina in primis & personam & officia Filij Dei diligenter describit: De persona affirmat duas in Domino nostro Iesu Christo naturas esse & manere distinctas, Sed tamen copulatas vnione hypostatica, diuinam & humanam. Diuina λόγος nominatur, quæ verè ab æterno persona est distincta à Patre, & tamen ὁμοῦσιος Patri, Sed humana natura certo tempore assumpta est ex matre Maria virgine. Huius asseuerationis testimonia sunt in vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica, Sed præcipuè Iohannes Euangelista exordium Euangelij sui ita scripsit, vt in illustri loco extaret testimonium de hoc articulo. Nam quia in exordio concio de Filio Dei proponitur, non solum in conspectu est omnibus, sed magis etiam apparet, non obiter aut casu vllum verbum ei excidisse, neq; ambiguè & obscure eum loqui voluisse.

XXII.
Rectè autem damnati sunt & olim Samosatenus, & postea Photinus, & recens Seruetus, quem nunc Gigantea soboles in Transyluania & Polonia, vt ducem sequitur, Qui sceleratè eludere & corrumpere audent narrationem Iohannis, & negant oportere intelligi λόγος ὑφ' ἑαυτοῦ, & Christum aiunt tunc demum Filium

B iij Dei

Dei nominari cœpisse, cùm natus est ex virgine. Antea enim prædestinatione tantùm seu proposito Patris Deum factum seu ordinatum fuisse fingunt. Hoc impiũ figmentum Iohannes ipse refutat, cùm mox initio Filium vnigenitum, qui est in sinu Patris τὸν λόγον nominans, quater repetit uerbum ERAT, quod ne potest quidem aliter intelligi, quàm pro ὑφίστατο. Postea disertè addit: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Id de humana natura assumpta ex virgine accipi non potest, sed personam diuinam intelligi necesse est, quæ & cum Patre res omnes condidit ex nihilo, & generi humano perpetuo affuit, & in Ecclesia se patefecit, in colloquijs cum sanctis Patribus, & stupendis miraculis, & in defensione ac gubernatione Ecclesiæ omnium temporum.

XXIII.

Rectè damnatus est & Arius, & qui eum secuti sunt. Qui ut significaret τὸν λόγον non esse ὁμοούσιον καὶ σωμαίδιον τῷ πατρὶ, seu non esse æternum & natura Deum, blasphemò ore dixit τὸν λόγον esse ἐν μὴ ὄντων. Item fuisse aliquando Patrem, cùm nondum esset Filius. Aduersus hanc ipsam blasphemiam clara voce Iohannes inquit: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Et ne in vocabulo Dei sit ambiguitas, attribuit τῷ λόγῳ omnes proprietates, & opera, quæ solì naturæ diuinæ conueniunt, vt sunt, æternitas, omnipotentia, creatio rerum ex nihilo, viuificatio, illuminatio, tribuere alijs potestatem filios Dei fieri. Et in Epistola eum verum Deum nominat. Deniq; aliquoties τὸν λόγον nominat Filium Dei vnigenitum, vt discernat eum à cæteris Sanctis, qui sunt filij adoptionis, & doceat τὸν λόγον solum atq; vnicum natum esse ex essentia Patris. Nec gratia aut participatione, sed natura esse Filium.

Vnionem

XXIII.

Vnionem naturarum τῷ λόγῳ & humanae assumptae, describit idem Iohannes Euangelista breui aphorismo, cum inquit: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Fatemur autem carnis appellatione significari naturam humanam integram, habentem corpus & animam rationalem, & omnes vires ac appetitiones naturae humanae proprias, vnā cum omnibus infirmitatibus, quae non sunt peccata, sed poenae. Ideoque non solum Apollinaris delyramentum reijcimus, qui finxit animam rationalem à Christo assumptam non esse: Sed etiam Manichæorum, Marcionis, Basilidis, Valentini, & aliorum furores execramur, qui δοκίμα ἢ φαντασίᾳ Christum hominem factum esse dixerunt.

XXV.

Retinemus sancta & religiosa fide descriptionem vnionis hypostaticae congruentem cum voce diuina, & traditam vnanimi consensu Ecclesiae orthodoxae omnium temporum: Eamque affirmamus esse nec transmutationem, nec confusionem naturarum aut proprietatum inter sese, sed copulationem, ut scripsit tota antiquitas, verè ἀξίωμα seu ineffabilem, qua ὁ λόγος, qui est secunda persona diuinitatis, massam certam ex genere humano in vtero virginis à Spiritu sancto sanctificatam assumit, & sibi copulat, non solum inseparabiliter, sed etiam secundum hypostasim, non quod ex duabus naturis, humana videlicet & diuina, tertia coaluerit aliqua, quae partim diuina sit, partim humana, aut quod adiectionem personae sanctae Trinitas susceperit ex incarnato Dei verbo: Sed quod vna in Christo ὑπόστασις sit ac maneat, ipsius nimirum verbi propria, quae humanam naturam assumptam gestet, sustentet ac foueat. Non enim natura humana assumpta in Christo personae rationem habet,

bet, sed dependet à natura diuina assumente tali ordine, vt non esset, nisi sic à diuina sustentaretur & conseruaretur. Et vt hæc persona λόγος æterna est, Ita postea impossibile est hanc massam ipsi insertam non simul manere. Nunquam enim ὁ λόγος naturam, quam semel assumpsit, deserit, Imò ne quidem in morte animam aut corpus deseruit, etsi tum verè facta est separatio animæ à corpore.

XXVI.

Etsi exemplum huius vnionis nullum est in creaturis, quod prorsus congruat: tamen vetustas vt aliquo modo declararet vnionem personalem, monstrauit hominem. Sicut anima hominis & corpus sunt vnum ἕν ἰσάμενον completum, & corpus dissoluitur desertum ab anima: Ita λόγος & assumpta natura sunt vnum ἕν ἰσάμενον, & redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur & sustentaretur à λόγῳ. De hoc exemplo verecundissimè dixit Iustinus Martyr: τινὲς μὲν τῷ ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἀεμοδίον γε τὸ πρῶτον ἄσθμα, εἰ καὶ μὴ καὶ πάντα: καὶ τί γάρ. Ideò autem doctrinam hanc de vnione duarum naturarum in Christo retineri necesse est, Quia alioqui nec Iesus esset, id est, Saluator generis humani, nec Christus, id est, vnctus, seu rex & sacerdos noster.

XXVII.

Nequaquam duos Christos, nec duas in Christo personas, nec duos filios, alterum Dei, alterum Mariæ virginis agnoscimus, sed vnā tantū personam, vnum Filium, vnum Christum fatemur, qui verus Deus, & verus homo est, Deus ante secula genitus ex substantia Patris, Nouissimis verò diebus propter nos, & propter nostram salutem homo natus ex matris substantia, perfectus in diuinitate, & idem perfectus in humanis

manitate, ὁμοῖος Patri secundum diuinitatem, nobis per omnia similis excepto peccato, secundum humanitatem. Contra verò negamus vllam naturarum confuſionem factam eſſe, cùm earum ſit οὐσιώδης διαφορά. Sed confitemur vnigenitum Dei Filium in duabus naturis eſſe ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαζέτως, ἀχωρίως, hoc eſt, abſq; omni naturarum confuſione, permutatione, diſtractione atq; ſeparatione, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem: ſed potius ſalua vtriuſq; naturæ proprietate. Non enim conuerſione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, non confuſione aut transfuſione ſubſtantia, aut vnus tertiæ naturæ compositione, ſed vnitate perſonæ vnus eſt ac manet Chriſtus, in duabus ſubſiſtens naturis.

XXVIII.

Conſtanter etiam negamus vllam vel transfuſionem, vel communicationem Phyſicam proprietatum factam eſſe. Sed quemadmodum in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas indiuiſe ac inconuertibiliter vnitas eſſe confitemur: Sic & proprietates naturarum diſtinctas indiuiſe, inconuertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter, in eodem Chriſto agnoſcimus. Fatemur & voluntates in Chriſto eſſe diſtinctas, & actiones ſuæ cuiq; naturæ congruentes, non quidem contrarias illas inter ſe, nec aduerſas ſibi inuicem, nec tanquam ſeparatas in duabus perſonis, ſed naturarum ratione differentes, vt quemadmodum naturas duas: ita & naturales in ſe voluntates, & operationes, vnus idemq; Dominus noſter Ieſus Chriſtus habeat: diuinam & humanam. Diuinam quidem voluntatem & operationem ex æterno cum coëſſentiali Patre communem. Humanam verò temporaliter ex nobis, cum noſtra natura ſuſceptam.

C

Hæc

XXIX.

Hæc quæ recitauimus, scimus iisdem penè verbis decreta esse in Synodis œcumenicis celeberrimis, Ephesina, Chalcedonensi & Constantinopolitana tertia, contra Nestorium, Eutychem, & Monotheletas. Negabat Nestorius vnum eundemq; esse Dei & Mariæ Filium, ac proprietatem personarum attendendo, à personæ excidit vnione. Dogma enim ipsius reuera hoc fuit, τὸν λόγον affuisse homini Christo per assistentiam seu societatem, sicut adfuit Helix & alijs Sanctis, nec duas naturas in Christo vnione hypostatica vnitas fuisse. Dixit & naturam humanam tantum organum fuisse diuinitatis. Contra Eutychem vnã intuendo personam, à naturarum proprietate desciiuit. Ideoq; ad contrariam delapsus hyperbolen, cõfusionem naturarum finxit, ac contendit post vnitionem vnã tantum in Christo naturam esse, & humanam assumptam à λόγῳ Filio Dei prorsus vel absorptam, vel in diuinam eius naturam conuersam & mutatam esse. Monotheletæ verò vnã in Christo, & voluntatem & operationem esse cõtenderunt: Vnum enim & eundem incarnatum θεὸν λόγον, diuina & humana operari asseuerabant: Et tamen nequaquam illa huius, hæc verò alterius naturæ propria esse. Neq; eò quòd diuersa sint opera, ideo duas operatrices naturas rectè dici.

XXX.

Valde dolemus horum veterum errorum semina audacter à multis nunc etiam spargi, & iudicamus ab vniuersæ antiquitatis piæ & eruditæ consensu, si non rebus ac sententijs, certè formis verborum & phrasium recens confictis discedere et discrepare eos, qui vnionem personalem definiunt quandam totius energiæ diuinæ in humanitatem effusionem, qua realiter diuinitas suas
 proprie

proprietates humanæ communicauerit: Aut qui huma-
næ naturæ, hoc quod personæ est, tribuentes, peculiariter
diuinam naturam assumptam, humanæ assumptæ reali-
ter communicare dicunt: Personam, maiestatem & actio-
nes, Aut qui prodigiosis verborum commentis, innume-
ras Idiomatum distinctiones fingunt, Denique quod mi-
scent aliqui dona & ornamenta excellentiæ humanæ na-
turæ glorificatæ in Christo, cum proprietatibus diuinæ
essentiæ. Tales optaremus & vniuersæ antiquitatis con-
sensum attentius cōsiderare, & non gignere subinde no-
uas loquendi formas, quæ partim errores, partim dissidia
pariunt.

XXXI.

Iudicamus tenendam esse diligenter ac perpetuò
regulam: Discernendas esse in omni sermone de Domi-
no nostro Iesu Christo appellationes, quæ significant
proprietates naturarum & appellationes officij. Solius
naturæ diuinæ propria sunt, esse omnipotentem, æter-
num, infinitum, omniscium, omnipræsentem. Huma-
næ naturæ propria sunt, coepisse in tempore, finitum, cir-
cumscriptum esse. Hæc cum sint essentielles propieta-
tes naturæ humanæ, nunquam abijciuntur. Sed alia sunt
in natura humana, quam λόγος assumpsit, quæ corpori
nondum glorificatō recte tribuuntur: vt esurire, sitire,
lacerari membra, mori &c. Hæc quæ fuerunt infirmita-
tis humanæ, desierunt post glorificationem, In qua or-
nata est insuper humana natura Christi, excellenti glo-
ria, immortalitate, conspectu diuinæ essentiæ, lætitiæ, &
alijs donis superantibus omnium beatorum dona. Nec
tamen propterea amissa est humana natura, nec secun-
dum se infinita aut omnipotens facta est, nec diuinæ na-
turæ Idiomata in eum transfusa sunt.

XXXII.

Nomina officij sunt, Mediator, Redemptor, Ius-
tificator,

C ij

stificator,

stificator, Saluator, Rex, Sacerdos, Pastor. Hæc nomina officij non sunt Idiomata alterutrius naturæ tantum, sed communia sunt personæ. Et in his ipsis actionibus, quæ ad officium pertinent, quæq; vel ad opus redemptionis perficiendum spectant, vel testimonia sunt comprobantia officium & missionem Filij mediatoris, natura vtraq; cum communione alterius agit, quod proprium est, nimirum verbo operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est, Vt vetustas olim rectè locuta est: Non moritur diuina natura, sed humana tantum, & tamen voluntas τῆς λόγου approbat hanc obedientiam, in eamq; consentit, & meritum est totius personæ. Resuscitat diuina natura humanam, Non resuscitat seipsam humana. Sic & persona ista miracula facit, qualibet natura agente, seu operante hoc, quod suum est: Propria est diuinæ naturæ vis ac potestas faciendi miracula, vt cum quinque panibus pascuntur quinque millia, cum resuscitatur Lazarus, cum sanantur claudi, cum mutis vsus linguæ redditur, cum aqua in vinum mutatur, Sed exerit sese hæc vis atq; potentia naturæ diuinæ in natura assumpta, vt cum manu frangit panes, cum attingit loculum, cum clara voce euocat mortuum, cum digitis tangit corpus. Ita fons est actionum omnipotentia diuinæ naturæ: Sed fiunt actiones in natura assumpta. Estq; vna & eadem actio visibilis, seu vt Damascenus loquitur, vnum ἀποτελεσμα, quod vtraq; natura operatur, sicut persona vna est, quæ est Deus & homo.

XXXIII.

Etsi autem reuera distinctæ manent naturæ in Christo, & vtraq; retinet suas proprietates: tamen cum hæ ipsæ naturæ sint vnum ἕν ἰσ ἄμειον, & vnus sit Christus Deus & homo: Rectè vtriusq; naturæ propria de tota persona prædicantur, Eam loquendi formam nominarunt

minarunt κοινωσιαν ἰδιωμάτων, quæ nequaquam est communicatio physica, aut transfusio proprietatum essentialium in alterutram naturam, vt nunc aliqui communicationem Idiomatum realem seu physicam comminisci non sunt veriti: sed est forma loquendi, qua proprietas aut operatio vni naturæ conueniens tribuitur personæ, certa lege ac modo, videlicet in concreto, quod totum agens significat, habens vtramq; naturam: Non autem in abstracto, quo alterutra natura secundum se considerata significatur. Hanc doctrinam veteres Synodi prudenter constituerunt, vt conspici possit vtrumq;, & personæ vnitatem, & naturarum differentiam retineri, in mediatore nato ex virgine: quorum alterum Nestorius, alterum Eutyches olim negauit.

XXXIII.

Non volebat Nestorius vnā personam esse τὸν λόγον & naturam assumptam: sed contendebat tantum societate auxiliij τὸν λόγον in Christo esse, vt fuit in Elia aut alijs sanctis. Ideo superbe vociferabatur: Noli gloriari Iudæe, quia non Deum, sed hominem crucifixisti. Nec admittebat, vt Maria θεοτόκος, id est, Deipara diceretur. Sæpe etiam clamabat, se non agnoscere Deum bimestrem aut trimestrem. Contra vero Eutyches confusionem naturarum finxit. Ideo dixit diuinitatem mortuam esse. Sed defendit Ecclesia contra Nestorium Propositiones de Christo in concreto, ne solueretur vnio hypostatica, quales sunt: Iudæi Dominum gloriæ crucifixerunt: Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Filius Dei natus est ex Maria virgine. Nam si idiomata alterutrius naturæ non possent tribui personæ, non erit vna persona, sed erunt duo filij, λόγος homo natus ex virgine. Nec conspicietur discrimen inter vnionem hypostaticam & societatem seu auxiliium, nec agnossetur, quæ

C iij sit disse-

sit differentia inter has Propositiones: Christo patiente Deus patitur, & Iohanne Baptista patiente, Deus patitur. Denique certamen sequetur de re maxima: An vna adoratione adorandus sit Filius, & quomodo inuocandus sit Filius? Contra Eutychem verò Ecclesia reiecit ac repudiavit Propositiones in abstracto, quales sunt: Diuina natura dormit, vulneratur, moritur. Humana natura est infinita, æterna, creatrix. Hæ enim si reciperentur, non posset agnosci, duas esse naturas in Christo nato ex virgine.

XXXV.

Omniò ex naturarum communicatione ipsa quoque idiomatum communicatio æstimanda est. Nequaquam naturæ sunt prorsus ἀκραιβάτοι, vt Nestoriani docebant, Sed quia natura vtraque in vnitatem personæ concurrit, nec seorsim aut separatim singulæ post ἐνωσιν factam subsistunt, Ideo recte olim communicari naturas dixerunt: quod posteriores concinniori vocabulo vniri nominarunt. Eodem modo & idiōmata vtriusque naturæ, vnius personæ sunt, sed vni personæ communicantur. Quia etsi natura quælibet suas proprietates retinet, ne fiat confusio, tamen non sunt illæ ponendæ seorsim aut separandæ, ne soluatur personæ vnitatis: Sic & actiones cuiuslibet naturæ sunt propriæ & peculiæ, & tamen non separatæ. Semper autem has ipsas formas loquendi, in quibus alterutrius naturæ propria personæ tribuuntur, Ecclesia exemplo vocis diuinæ sic declarauit, vt particula distinctiua, κατὰ, secundum, vel iuxta vtendum esse docuerit. Ea ratione ostendit non factam esse physicam transfusionem proprietatum, neque ad vtramque naturam accommodandum esse idiōma, quod personæ secundum alterutram naturam tribuitur. Non enim diuina natura propterea passibilis existimari debet, quòd Christus Deus & homo passus esse recte dicitur.

tur:

tur: Nec ideo naturæ humanæ æternitas aut infinitas
tribuenda est, quòd Christus homo & Deus æternus &
infinitus est,

XXXVI.
DE LEGE ET DE
PECCATO.

Vt autem beneficia Mediatoris melius intelligan-
tur, discrimen Legis & Euangelij notum esse necesse est,
quod & scriptura sæpe inculcat, eaq; in re & quæ sit Dei
erga nos voluntas, conspici potest. Nam voluntatem
suam Deus in vtroque doctrinæ genere patefecit, vi-
delicet in Lege & Euangelio. Discrimen autem defi-
nitiones vtriusq; doctrinæ verè & rectè traditæ ostend-
dunt.

XXXVII.

Cùm de Lege loquimur, vltatè intelligimus non
politiam Mosis, id est, cæremonias aut iudicia populi Iu-
daici, sed Legem æternam, quæ puerili appellatione no-
minatur lex moralis, cuius summa comprehensa est in
Decalogo rectè intellecto. Ea est æterna & immota sa-
pientia & regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non
recta, volens recta, & horribili ira destruens contraria,
cuius notitia in creatione rationalibus naturis insita est,
& postea sæpe repetita & declarata voce diuina, vt scia-
mus, quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd sit Iudex obli-
gans omnes creaturas racionales, & præcipiens, vt om-
nes sint conformes ipsi, & habeant integram obedien-
tiam iuxta totam legem, & accusans ac destruens omnes
non conformes, nisi fiat remissio & reconciliatio propter
Filium mediatorem.

XXXVIII.

Euangelium est prædicatio pœnitentiæ & pro-
missio, quæ non est naturaliter nota, sed ex arcano con-
filio

filio diuinitatis per Filium prolata est, qua Deus remissionem peccatorum, reconciliationem & donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ propter obedientiam & mortem Filij mediatoris offert & exhibet omnibus, qui fide promissionem accipiunt.

XXXIX.

Ex harum definitionum collatione facile apparet differre Legem & Euangelium, primùm genere ipso: quia manifestum est, aliud esse æternam & immotam normam mentis diuinæ, præcipientem integram obedientiam, & simpliciter ac immutabiliter damnantem omnes non habentes integram obedientiam. Aliud verò concionem, qua peccatores inuitantur & vocantur ad pœnitentiam, monstrata diuinæ legis *ἐπιταγή*, & proposita promissione dulcissima de gratuitis beneficijs.

XL.

Deinde notitia differunt: quia Legis sapientia Angelis & hominibus in prima creatione patefacta est, & in hac quantumuis deprauat a natura hominum semper manet aliqua legis notitia, & discrimen honestorum & turpiū, etiam sine regeneratione, sicut manent notitiæ numerorum, & aliæ quædam physicae notitiæ, quemadmodum Paulus disertè testatur, inquit, Gentes ostendere legem Dei scriptam in cordibus suis &c. Sed quia post lapsum obscurior est notitia & assensus languidior, & mentes hominum leuius cogitant, quàm tetra res sit peccatum & ira Dei: Ideo Deus expressa voce Legem in monte Sina, & aliàs sæpe repetere voluit, vt suo iudicio damnaret peccatum. At Euangelij promissio nec insita fuit mentibus hominum in creatione, nec postea naturaliter nota est: sed postquam lapsi sunt primi parentes, ex sinu Patris per Filium prolata est, & per hanc in Ecclesia subinde repetita, illustrata & conseruata, donec

nec ipse assumpta natura humana eam plenissime enarrauit, & postea in toto genere humano sparsit, missis Apostolis, qui non tantum viua voce docuerunt, sed etiam scriptis saluberrimis adhuc docent Ecclesiam de Euangelio,

XLI.

Maxime autem illustre est hoc discrimen, sumptum a promissionibus. Vtraque doctrina additas habet promissiones, & quidem summorum & aeternorum bonorum, Sed legis promissiones non sunt gratuita: Requirit enim conditionem propriae dignitatis & perfectae obedientiae, & postulant integram conformitatem cum Deo, quam qui non habent, eis lex horribilem iram, destructionem & poenas aeternas denunciat, iuxta dicta: Fac hoc & viues: Si vis in vitam ingredi, serua mandata, Qui fecerit ea, viuet in eis. Maledictus, qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in libro legis ad faciendum ea. At promissiones, quae sunt Euangelij propriae, perpetuo exclusiuam Gratis inculcant. Et quamquam poenitentia & fides in Euangelio requiritur: tamen non pendent beneficia Euangelij gratuita ex conditione nostrae dignitatis aut vllarum virtutum nostrarum, sed tantum monstratur ordo seu modus, quo beneficia Euangelij accipienda sunt.

XLII.

Sunt & effectus dissimiles Legis & Euangelij. Nam ministerium Legis nequaquam est potentia Dei ad salutem omni credenti, sed est potentia peccati, seu ministerium mortis & damnationis, id est, horrendum iudicium, quo Deus ostendit in corde horribilem iram aduersus peccatum. Manifestum est etiam, non modo non tolli peccatum & mortem hoc iudicio & sensu irae Dei, sed etiam hunc ipsum sensum irae Dei esse paue-
D res &

res & dolores tristiores ipsa morte corporis, & initium
aeternarum pœnarum, nisi voce Euangelij per Filium
Dei homo liberetur. At Euangelium est ministerium
Spiritus & vitæ, id est, vox, qua Deus credenti remittit
peccata, propter Filium, & dat Spiritum sanctum,
quo corda in illo sensu iræ Dei, & in paucibus eriguntur,
& ex doloribus inferorum eripiuntur, & sentiunt
pacem & latitiam in Deo, & initia vitæ aeternæ.

XLIII.

Postremo, etsi multæ aliæ sint differentiæ, tamen
non est negligendum discrimen, quod ab obiectis sumitur.
Sunt enim distincti gradus hominum, quorum alij,
vt Paulus loquitur, viuunt sine lege: Alij verò sentiunt
se damnari lege, in quibus, vt idem Apostolus inquit,
peccatum per legem fit excellenter peccatum. Itaq; semper
hac orthotomia publicè & priuatim vtendum est,
Vt voce legis declarante iram Dei aduersus peccatum,
terreantur & prophanij & hypocritæ: Consolatione verò
Euangelij recreentur ac reficiantur expanscentes
agnitione iræ Dei aduersus suam immundiciem, qui nisi
erigerentur audita promissione gratiæ, succumberent
& perirent in tantis doloribus.

XLIII.

Non est imaginandum, contrarias esse voluntates
in Deo de salute nostra, propterea, quòd Lex & Euangelium
differunt: Nec voluntas in lege patefacta inconstans
& mutabilis existimanda est: sed lex immota est, et
ira Dei aduersus peccata immutabilis est, sicut primi
parentes ante editam promissionem Euangelij aliter iudicare
non poterant, nisi iram prorsus immutabilem esse.
Est autem post lapsum legi addita Euangelij vox, tanquam
interpretatio & *ἐπιείκεια* dulcissima, vt ostendat
temperamentum iustitiæ et misericordiæ in Deo, & doceat

ceat legis comminationes ita ratas esse, nisi remissio & reconciliatio fiat propter Filium mediatorem. Manet igitur lex in omnem æternitatem immutabilis, nimirum hoc modo: quia Deus peccato semper irascitur, & non sine pœna remittit, sed hanc ipsam iram & pœnam docet Euangelium in Filium mediatorem immensa bonitate & mirando consilio translata esse, et propter hunc mediatorem affirmat credentes recipi.

XLV.

Impius error est, fingere tres fuisse leges, Primam naturalem: secundam Mosaicam: tertiam Euangelicam: & saluatos esse homines singulis ætatibus, operibus suæ legis. Vna est enim & eadem lex moralis, cuius summa in Decalogo comprehensa est, quæ semper nota fuit sanctis Patribus, & aliquo modo alijs hominibus, & fuit ac erit eadem in omni æternitate. Nec Patres nec alij vlllo tempore acceperunt remissionem peccatorum propter sua opera, nec fuerunt iusti, nec hæredes vitæ æternæ, operibus legis, quæ non sunt integra conformitas cum Deo. Fuit & Euangelium vnum & idem in Ecclesia, inde vsq; ab initio. Quia cum promissio gratiæ fundamentum sit Ecclesiæ, statim post lapsum edita & postea sæpe repetita est promulgatio, & sic intelligebant Patres promissionem, vt scirent tunc quoq; Dominum illum adesse suæ Ecclesiæ, ac tandem assumpturum esse humanam naturam, & destructurum opera Diaboli: Huius mediatoris agnitione omnes saluatos esse, quicunq; saluati sunt vnquam, testatur Baptista: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Item, Petrus in Actis: Credimus nos saluari per gratiam Domini nostri Iesu Christi, sicut & illi saluati sunt.

XLVI.

Doctrina de abrogatione legis dextrè accipienda & intelligenda est. Rectè dicitur legem Mosaicam abrogatam esse. Quòd eodem modo verum est de omnibus partibus legis Mosi, quod ad iustificationem attinet. Non enim merentur remissionem peccatorum, nec persona iusta est, id est, accepta Deo ad vitam æternam propter opera Legis moralis, vel aliarum partium legis, sicut Paulus inquit: Ex operibus legis non iustificabitur omnis homo. Quod verò ad obligationem seu debitum obedientiæ attinet, discrimen est. Nam leges Forenses & Cæremoniales sic sunt abolitæ, vt prorsus omitti possint, & sint extinctæ. Quia tantum promulgatæ fuerunt, vt durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica. Verùm lex Moralis, cum sit in Deo sapientia, & norma iustitiæ æterna, & patefacta sit hominibus, vt homo sit conformis Deo, non potest extingui: Itaq; vt vniuscuiusq; legis hoc est propriissimum, obligare vel ad obedientiam, vel ad poenã: Ita & diuinæ legis Moralis semper manet hoc proprium, quod velut anima & vita eius est, quod videlicet obligat omnes homines ad obedientiam, vel ad poenam. Et quanquam poena translata est in Filium, propter quem recipiuntur credentes, tamen manet ordo diuinus, vt homo iterum fiat conformis Deo, sicut Ro. 3. dicitur: Per Fidem stabilimus legem: Item, Rom. 8. Vt ius Legis in nobis impleatur.

XLVII.

Execrandus est furor Antinomorum, qui legem nolunt doceri in Ecclesia, nec peccata volunt ex lege argui. His opponimus voluntatem Dei, qui vult extare legem suam, & exaudiri in toto genere humano, & imprimis sonare in Ecclesia, sicut seuerissimè præcipit, Deut. 6.

Deut. 6. Acies legem filijs tuis. Ac ne quis frustra vel editam vel conseruatam legem putet, monstramus Legis vsum triplicem; Et primum nominamus pœdagogicum seu politicum, qui ad omnes homines pertinet, etiam non renatos & Ethnicos, quòd videlicet obligat omnes, vt regant externa membra seu locomotiuam, vt externa facta congruant cum Lege Morali, & sancit pœnas etiam corporales in hac vita aduersus eos, qui admittunt externa delicta, quæ Deus vel per Magistratum, vel alijs modis sumit de fontibus. De quo vsu dicitur 1. Timoth. 1. Lex posita est iniustis, inobsequentibus, impijs, peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicatoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris &c.

XLVIII.

Secundus vsus est iudicium vniuersale, accusans omnia peccata in hominibus interiora & exteriora, & totam deprauationem iuxta dicta; Per legem cognitio peccati; Aculeus mortis peccatum est, Potentia peccati Lex est.

XLIX.

Nequaquam verò omittendus est & tertius vsus, Qui est in renatis docere, qui cultus placeant Deo, Vult enim Deus fidem et bona opera nostra regi verbo suo, iuxta dictum; Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ideoq; execrandus est furor verè diabolicus Antinomorum, qui fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, & nolunt gubernari lege Dei: Et quoniam in renatis manent reliquix peccati, etiam ideo de Lege docendi sunt, vt crescat in eis pœnitentia.

L.

Singulare testimonium est, ostendens solius Ecclesie doctrinam veram & diuinam esse, & solam Ecclesiam esse cœtum Deo placentem, quòd tantum in ea

semper mansit & manet incorrupta vox Legis. Nam
Ethnici manifestos errores receperunt pugnantibus cum
Lege, ut à tota prima tabula horribili audacia plurimæ
gentes discesserunt conficta Deorum portentosa mul-
titudine, & inuocatione mortuorum hominum, & ma-
gna varietate cultuum, quos instituerunt contra expres-
sum Dei verbum. A quinto maculatione humanarum
hostiarum, & spectaculis gladiatorum. A sexto terra
& horrenda confusione libidinum, quas & hodie Ma-
hometistæ approbant.

LI.

Concinna est veterum interpretatio, qui, cum
Paulus inquit: Legem per manum Mediatoris datam
esse, intelligunt ipsum Filium Dei λόγος æterni Patris
fuisse Oratorem ad populum dicentem verba legis, qui
ipse postea in humana natura inquit: Non veni soluere
legem, sed implere. Hic cum disertè dicat se legem non
soluere, id est, tollere, seu destruere, seu abolere, sed sta-
bilire potius & confirmare, nequaquam existimandū
est legem moralem extinctam esse, etiam si credentes
sunt liberati à lege, id est, à reatu & condemnatione le-
gis. Manet enim obligatio ad obedientiam, & lex per-
petuò in omnibus hominibus accusat peccatum.

LII.

Falsa est imaginatio Phariseorum, Pelagij, Mona-
chorum, qui fingunt homines in hac naturæ immunditi-
e satisfacere legi, Quia lex non tantum de disciplina
externa concionatur, sed integram & perfectam obe-
dientiam requirit, quam nemo habere potest ante re-
suscitationem ex morte & secuturam glorificationem
Ecclesiæ in cœlesti consuetudine. Insulsum est etiam
quod Papistæ dicunt, legem tantum de actionibus con-
cionari, non de defectibus in natura, qui sunt tristissima
vulne-

vulnera, videlicet carere luce Dei, fluctuare horrendis dubitationibus, vagari cæcis affectibus, de quibus Paulus grauissimè inquit: Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum.

LIII.

Breuis & erudita Definitio peccati in 1. Epistola Iohannis cap: 3. traditur ἡ ἁμαρτία ὅστις ἡ ἀνομία. Vt enim priuationes definiuntur collatione habituum, vt cum dicimus: Tenebras esse priuationem lucis: Sic cum norma iustitiæ lex sit: rectissimè Iohannes definit: Peccatum esse, quicquid est contrarium legi, seu quicquid non congruit cum lege. Sed hæc breuis definitio dextrè intelligatur, videlicet vt comprehendatur simul reatus, & non solùm actiones & inclinationes viciosæ, sed etiã defectus interiores. Quæ vt monstremus perspicue, retinemus distinctas appellationes peccati, Originalis & Actualis, propter Pelagianos, qui contenderunt, aut nullos esse defectus in natura hominis, aut eos tantùm pœnam esse, non peccatum, sicut hodie Pontificij concupiscentiam negant esse ἀνομίαν. Contrà verò clara voce testatur scriptura, non tantùm actiones in mente, voluntate, corde, & externis membris pugnantes cum Lege, peccata esse: Sed omnes homines propagatos carnali generatione afferre secum reatum, & propter lapsum Adæ, & propter priuationem iustitiæ originalis, Sicut Paulus inquit Roma. 5. Propter inobedientiam vnus, peccatores sunt multi. Item: Propter vnus delictum, condemnatio peruasit in omnes, Ephe. 2. Erasmus natura filij iræ. Rom. 3. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Gene. 8. Figmentum cordis humani malum est à pueritia.

LIIII.

Fatemur horribile malum esse peccatum Originis
nis

nis in natura hominum, Quia corruptio est seu depravatio imaginis Dei, ad quam homo initio fuit cōditus. Ac in mente quidem caligo est gignens tetras dubitationes de Deo, de providentiā, de comminationibus et promissionibus Dei: In voluntate est auersio à Deo, unde sunt ingentia mala, securitas, neglectio iræ Dei, diffidentia, amor nostri inordinatus, & multiplex prava inclinatio: In corde horribilis contumacia est, gignens errantes appetitiones, & flammās pugnantes cum lege Dei, illicitos amores, iniusta odia. Et hoc malum tenacissimè inhæret toti substantiæ seu naturæ hominis, & unà cum substantia propagatur in posteros, vt accidens inseparabile, natura corrupta gignente ex se corruptam, sicut dicitur in Psalmo: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Fatemur & propter hoc malum horribiliter Deum irasci toti massæ seu naturæ hominum, & homines subiectos esse tyrannidī Diaboli, qui & corporalibus malis conatur perdere homines, & impellit eos ad peccata omnis generis. Et quanquam supersunt aliquæ reliquiæ imaginis Dei in homine, etiam post lapsum; vt notitiæ in mente, & libertas regendi locomotivam in voluntate, & *σὸς γὰρ φωνὴ* in corde erga cognatum sanguinem, præterea & actiones & motus naturales intellectus, voluntatis et cordis, tamen & has ipsas agnoscimus multis modis pollutas ac contaminatas esse, & lædi ac deformari partim ab innata prauitate, partim à Diabolo multipliciter.

L V.

Detestamur autem impium & absurdum dogma Flacij: qui peccatum facit substantiam, vel ipsam etiam, vt loquitur, animam rationalem: qui imaginem Diaboli cordi humano essentialiter dicit impressam atq; informatam esse: qui corruptionem naturæ humanæ fingit esse

esse transmutationem physicam in nouam substantiam, perinde vt in physicis alia noua substantia generatur per corruptionem, abolita prorsus priori substantia. Denique qui hominem ait tantum creaturam Dei esse ratione primæ creationis: Nunc verò post lapsum aliam esse & nouam hominis substantiam effectam à Diabolo, seu quam Diabolus effecerit, sic vt rectè dici possit: hominem nondum renatum esse opus Diaboli, conditum à Diabolo.

XLVI.

Cohorrescimus toto pectore cogitantes de his ter-
tris & portentosis blasphemis: quibus prorsus tollit
Flacius ex genere humano non tantum opus & ordi-
nem creationis, sed præsentiam, efficaciam, & guberna-
tionem Dei, in generatione, propagatione & conser-
uatione seu sustentatione hominum. Nec discernit sub-
stantiam, quæ & initio condita est à Deo, & propaga-
tur generatione, (Deo ordinem quem instituit etiam in
corrupta & viciosa natura conseruante) à labe peccati,
quæ prima origine aliunde accessit, videlicet ex Diaboli
& hominis voluntate. Præterea naturam humanam ita
subijcit Diabolò, vt homines sint creatura Diaboli, &
formentur à Diabolo, essentialiter suam effigiem in ho-
minem imprimente: Vnde aut maior aut par potentia
Diabolo tribuitur, quam Deo ipsi, qui solus creat nouas
substantias: Et confirmatur Manichæorum furor
de altero Deo Bono, altero Malo: Et infirmo sexui mu-
liebri omnis consolatio adimitur, cum etiam sanctæ ma-
tronæ statuere coguntur, foetus, quos gestant in vtero,
formari à Diabolo, & esse effigiem atq; imaginem essen-
tialiter effectam à Diabolo. Neq; vero filius Dei, post la-
psum assumere potuit naturam humanam consubstantia-
lem nostræ & οὐ γυναικῆ, vt tota vetustas locuta est, si sim-
pliciter alia atq; diuersa est, & tota specie, ac toto genere
E differt

differt naturæ humanæ substantia, quæ ante lapsum fuit,
ab ea, quæ peccato corrupta & deprauata est.

L VII.

Certum est etiam in renatis manere peccatum post
baptismum & regenerationem in hac vita. Manet enim
natura peccati, etsi remissio accedit, qua iam tollitur re-
atus, id est, Deus irasci desinit, & obligationem ad pœ-
nam æternam aufert. Quod si verò peccatum substan-
tia est Flacio, manebit etiam in renatis effigies Diaboli,
eacq; essentialis. Et quia inchoata est nouitas, qua instaur-
ratur imago Dei, hæc ipsa quoq; renouatio seu instaur-
ratio erit nouæ substantiæ introductio: Ita duæ erunt
substantiæ seu essentiæ in renatis, imago Diaboli, & ima-
go Dei. Quod quam sit absurdum dictu, omnes sani in-
telligunt, Sed omisis his *δυσφήμοις* & *παραλογίαις* ad
doctrinam nostrarum Ecclesiarum de peccato reuertis-
mur.

L VIII.

Etsi in his, qui non sunt renati, omnia peccata
mortalia sunt: tamen in renatis *ἐπιείκεια* Euangelij discer-
nit peccata regnantia & non regnantia, seu mortalia &
venialia. Nam cum renati aliquam fundamenti partem,
sciue scientes siue errore amittunt, aut idola approbant,
vt multi, qui falsis dogmatibus decipiuntur, aut non su-
stentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione
aut desperatione: Aut cum violant aliquod Decalogi
præceptum contra conscientiam, effundunt Spiritum
sanctum, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ & iræ Dei, &
nisi fiat conuersio ante exitum vitæ, tales morientes abi-
ciuntur in pœnas æternas. Alia verò sunt peccata in
sanctis, retinentibus fidem & bonam conscientiam, quæ
non sunt amissio fundamenti, nec sunt delicta contra
conscientiam, sed sunt reliquiæ peccati originis, quibus
tamen repugnant sancti, ne ruant contra conscientiam
& dolent

& dolent propter has sordes, & credunt se propter me-
diatorem Deo placere, tegi has sordes, & gratiam exu-
berare supra peccatum,

LIX.

Potest homo etiam non renatus aliquo modo fa-
cere externa opera legis, id est, vtcunq; regere locomo-
tiuum, seu flectere externa membra ad actiones congru-
entes cum lege Dei. Hanc enim libertatem vult Deus
reliquam esse, etiam in hac deprauata natura hominis,
vt intelligatur discrimen inter agens liberum, & non li-
berum: Item, vt sciamus ipsum quoq; Deum esse agens
liberrimum: Et vt in societate humana fit aliqua guber-
natio externorum operum, nec inutilis sit vox legum
& magistratum. Non possunt autem homines sine
Euangelio, & sine Spiritu sancto inchoare interiorem
obedientiam preceptam in lege Dei, videlicet verum ti-
morem Dei, veram Fidem, inuocationem & dilectio-
nem Dei. Hac breuis commemoratio, & declarat quid
de Libero arbitrio, seu de viribus hominis naturalibus
sentiendum sit, & dicta quae apud Hieronymum ex-
rant, concinne & dextere explicat: Anathema sit, Si quis
dixerit Deum impossibilia precepisse, & Anathema sit,
si quis dicit Legem fieri sine gratia.

LX.

DE IUSTIFICATIONE.

Cum non sit in nobis ea iustitia, quae est integra
conformitas cum Deo, quam lex requirit ab omnibus:
Ideo in promissione gratiae alia iustitia reuelata est: Vi-
delicet imputata, quae est remissio peccatorum, & ac-
ceptatio ad vitam aeternam propter Filij Mediatoris
obedientiam & Meritum: Quae cum Fide accipitur, Fi-

E ij lius

Itus Dei simul est efficax in cordibus credentium, viuificat & donat Spiritum sanctum, vt Roma. 5. dicitur: Per ipsum habemus gratiam & donum per gratiam.

LXI.

De hac Iusticia imputata, tantum Euangelium concionatur, & ad hoc caput tanquam ad finem potissimum referuntur omnes articuli Fidei nostrae, qui recitantur in Symbolo. Ideo enim credimus Christum Deum & hominem natum esse ex virgine, crucifixum, & resuscitatum, vt per & propter eum accipiamus remissionem peccatorum & vitam aeternam.

LXII.

Vsitatum est autem Paulo nominare promiscue & imputationem iusticiae & iustificationem: Ac comprehenditur in vocabulo Iustificationis praecipue haec relatio, videlicet, quod hi qui iustificantur, ex iniustis, id est, ex reis & non habentibus, iustitiam coram Deo, fiant iusti, id est, habentes Remissionem peccatorum & reconciliati atque accepti Deo ad vitam aeternam: Ideo recte tradita est Definitio.

LXIII.

Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis seu acceptionis gratuita propter Filium Dei, quae cum fide accipitur, verissimum est simul Filium Dei corda viuificare, & dicere consolationem in cordibus per Euangelium, & per Spiritum sanctum accendere novos motus congruentes cum lege iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum.

LXIII.

Sic autem accipit homo Iustificationem: Cum in contritione, id est, in veris doloribus & paucibus audit promissionem Euangelij propriam, de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui constitutus est mediator, propitiator, redemptor, iustificator & saluator,
& proz

& propter hunc Mediatorem Deum & hominem, non tantum alijs, sed sibi etiam gratis, Fide peccata remitti statuit propter misericordiam. Hac Fide cum erigitur homo, certum est ei donari Remissionem peccatorum & reconciliationem & imputationem Iustitiæ, & effici eum hæredem vitæ æternæ, & simul viuificari per Filium Dei, & donari Spiritum sanctum gratis, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias aut propria opera seu merita.

LXV.

Quamquam autem simul inchoatur nouitas: tamen non dicimus personam coram Deo iustam esse in hac vita propter nouas qualitates, sed propter ipsum Mediatorem, passum, resuscitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem & viuificantem. Non enim desinit Filius esse Mediator, & cum perpetuo hæreant in nobis reliquæ peccatorum, tenenda est hæc consolatio, perpetuo placere personam propter Filium imputata nobis ipsius iustitia.

LXVI.

Plena est vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica testimoniorum euidentissimorum de hoc articulo. Sed valde illustris est confirmatio in Epistola Pauli ad Roma. vbi cum cap. 3. posuisset hanc propositionem complectentem fundamentum & summam huius articuli: Decernimus hominem iustificari sine operibus legis. Item, Iustificamur gratis per ipsius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius: mox in cap. 4. grauissima argumenta addit, quæ in quotidiana inuocatione & consolatione cogitari necesse est. Non fuit, inquit, Abraham iustus propter opera coram Deo, sed fide: quare nec cæteri iusti sunt propter opera, sed fi-

de. Item, Iustificatio est gratuita imputatio iusticiæ, qua Deus per misericordiam nos recepit. Non igitur sumus iusti nostris operibus aut meritis. Citat & Psalmi testimonium: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, ut ostendat Iustificationem esse gratuitam remissionem peccatorum, qua Deus tegit & non imputat peccata. Urget etiam certitudinem promissionis gratiæ, quæ non solum fieret incerta, sed etiam ociosa esset, si niteretur nostra dignitate seu nostris operibus.

LXVII.

Impudens calumniæ est Osiandri, cum vociferatur, varios ac diversos modos Iustificationis proponi ab his, qui Iustitiam fidei tuentur ac defendunt. Unus est enim modus Iustificationis coram Deo, etiamsi in docendo aliàs aliæ causæ nominantur, ut cum dicimus: Deum esse qui iustificat: Item per obedientiam Mediatoris nos esse iustos: Item imputationem Iustitiæ seu remissionis peccatorum esse nostram iustitiam: Item, Fide nos iustificari. Hæc nequaquam inter se pugnant, sed diversos tantum ac distinctos gradus causarum significant: Interea manet hæc vera sententiæ: Hominem non solum iustificari: sed etiam esse & manere iustum, ac beatum, id est, placentem & acceptum Deo, & hæredem vitæ æternæ per misericordiam Dei, propter Mediatorem Fide.

LXVIII.

Cum dicimus Fide iustificari hominem, non intelligatur Fides tantum de noticia historiæ, sed de fiducia acquiescente in promissione. Deinde correlatiue intelligatur oratio, non quatenus Fides est qualitas in nobis, sed quatenus Mediatorem apprehendit: sicut præclare

clare quidam dixit: Non propter annulum, sed propter
gemma annulo inclusam, seu non propter nostrum
credere, sed propter Christum, in quem credimus nos
iustos esse. Idem est autem cum in hanc correlatiuam
orationem ea propositio resoluitur: Misericordia sumus
iusti, Quia misericordia promissa est in Euangelio pro-
pter Filium, & promissionem fides accepit.

LXIX.

Diligenter inculcat Paulus in hoc articulo exclu-
sivas particulas, Gratis, sine lege, sine operibus legis, non
ex nobis, non ex operibus, non nisi ex Fide, Quæ qui-
dem & hac particula comprehenduntur: sola Fide. Ac
notum est propter causas grauissimas, exclusiuas retine-
ri. Necessè est enim Christo hunc verum honorem tri-
buere, quod hæc sola hostia sit præcium pro nobis: Ne-
cessè est conscientias habere firmam consolationem,
ne opprimantur aut dubitatione, aut desperatione, quod
fieret, si penderet remissio peccatorum ex dignitate, seu
meritis nostrorum operum: Necessè est & inuocatio-
nem fieri fiducia solius Filij Dei Mediatoris, non fidu-
cia nostrorum meritorum. Quia alioqui impediretur
inuocatio, conspectu nostræ indignitatis, Deniq; ne-
cessè est conspici discrimen Legis & Euangelij. Id verò
præcipuè monstrat particula Gratis, & expressa mentio
Mediatoris.

LXX.

Rectè autem intelligatur vis exclusiuarum, iuxta
declarationem ipsius Pauli, qui cum disertè dicat exclu-
di gloriationem coram Deo, id est, fiduciam operum: si-
gnificat per particulas exclusiuas tolli omnem in iudicio
Dei dignitatem omnium operum, quantacunq; fieri ab
hominibus, siue renatis, siue non renatis possunt, ne sint
causa impulsiva, seu meritum iustificationis, seu recon-
cilia-

ciliationis cum Deo. Nequaquam vero exclusivæ particulae excludunt, vt multi nunc ineptè loquuntur præsentiam operum vna cum bene operandi necessitate. Quia semper multæ virtutes cum fide coniunctæ, & quidem necessariò copulatæ sunt, vt Contritio, Dilectio, bonum propositum, spes & aliæ virtutes, sine quibus Fidem quomodo dicemus esse ἀνυπόκριτον, aut quomodo negabimus esse mortuam ?

LXXI.

Considerandi sunt autem & errores præcipui, qui vel corrumpunt, vel delent hanc totam doctrinam de Iustificatione, quæ nisi certa & explicata sit, nec Deo debita gloria tribui potest, neque Ecclesia suum locum tenere ac tueri, neque reliqui fidei nostræ articuli inuiolati manere possunt.

LXXII.

Falsa est interpretatio Origenis, qui tantum cæremonijs iustificationem detrahi dixit, & finxit homines iustos esse propter opera moralia, cum Paulus vniuersaliter & sine vlla exceptione loquatur de omnibus operibus legis, siue sint cæremonialia, siue forensia, siue moralia.

LXXIII.

Est & Pelagij opinio damnanda, quæ quidem & priori cognata est, & animis hominum hanc persuasionem offundit, Mediocre disciplinam, quæ tantum est frenum externorum gestuum, mereri remissionem peccatorum, & esse iustitiam coram Deo, cum certissimum sit, eam imperfectam prorsus, & insuper multipliciter contaminatam esse, nec sanare tristitia in mente, voluntate, & corde hominis vulnera, nec tollere sensum iræ Dei & mortem, nec vilo modo propitiationem esse seu meritum remissionis peccatorum & vitæ æternæ.

Reijcitur

LXXIII.

Reijcienda sunt & sophistarum figmenta, de duplici merito, quorum alterum meritum congrui vocarunt, quod nominarunt opus bonum ante gratiam factum, cuius tanta vis sit, vt impetret gratiam de cōgruo, seu quia bonitati & clementiæ diuinæ sic congruat. Alterum meritum condigni vocarunt opus sequens impetratam gratiam, quòd mereatur vitam æternam ex dignitate sua, & quòd Deus approbet ex debito, id est, ex iusticia sua.

LXXV.

In primis damnanda est Synecdoche Papistarum, Sphyngis Augustanæ, Osiandri, Iesuitarum, & aliorum, qui sic interpretantur Propositionem Pauli: Fide iustificamur gratis, id est, præparamur ad iustificationem, vt simus deinde alia re iusti seu accepti coram Deo, videlicet nouitate seu dilectione, seu inhærente iusticia essentiali: Nam hi modi loquendi idem significant, & verè Osiander Synecdochen facit, sed splendidius quàm cæteri loquitur, quia pro effectu nominat causam efficientem. Ait fide præparari hominem, vt iustus fiat, ipso Deo agente in eo.

LXXVI.

Prorsus execrandum est impium decretum Synodi Tridentinæ, quod omnes homines in dubitatione manere iubet. Hic error non tantum corruptela est, sed etiam deletio totius capituli in Symbolo: Credo remissionem peccatorum. Opponimus autem huic impio decreto mandatum Dei æternum & immotum, quod seuerissimè præcipit, vt credamus Filio Dei, & promissionem diuinam vniuersalem & gratuitam, quæ hanc ipsam ob causam edita, & iureiurando confirmata est, vt ei assentiamur, ne fluctibus dubitationum opprimamur.

F

Aliena

LXXVII.

Aliena sunt etiam à scriptura & consensu vniuersae Ecclesiae, & à singulorum piorum spirituali experientia, Enthusiastica & βλακικὰ deliramenta, vt quòd acceptatio seu reconciliatio cum Deo gratuita sic discernitur à iustificatione, vt vel inter effectus vel fructus iusticiae imputatae referatur, & quod fingitur de admirabili quadam & omnipotente creatione seu implantatione noui cordis & fidei: sic praecedente iustificationem, vt per ea iustificatio nobis applicetur. Item, de certo quodam, sed nobis ignoto, momento & actu iustificationis: & de infusione plenitudinis gratiae tantum in vrceolos vacuos: & quòd alia fides iustificans, alia operas ponitur: Denique quòd vera interpretatio exclusiuarum latratu canino arroditur, & omnis omnino operum praesentia in eo, qui iustificatur, remouetur ac tollitur. A quibus omnibus toto pectore nos abhorrere testamur & profiteamur serio.

LXXVIII.

DE BONIS OPERIBVS.

Etsi nouitas spiritualis non est meritum, seu causa efficiens, principalis, aut minus principalis, neque vel totalis, vel partialis iusticiae coram Deo & salutis aeternae: sed sola Christi obedientia, quam tamen fides accipit, perpetuo est & manet meritum & impulsiva causa iustificationis & viuificationis: tamen quandocumque corda in veris pauoribus & doloribus per fidem in Christum eriguntur, & consolationem accipiunt, simul certo in corde, etiam praesens est Deus, & accendit per Spiritum sanctum novos motus & nouam obedientiam interiorum & exteriorum, congruentem cum lege Dei.

LXXIX.

Inde manifestum est, nouam obedientiam esse necessariam.

cessariam. Nec vocabulum necessitatis propriè significat violentam coactionem, quæ foris accedit, etiam cum voluntas repugnet: sed significat ordinem à Deo sancitum, quo vult Deus immutabiliter, vt & volens obtemperet creatura rationalis, & sciat non esse faciendum contra illum ordinem.

LXXX.

Norma inchoatæ obedientiæ sunt præcepta Dei, quorum summa in Decalogo comprehensa est, quem iuxta declarationem à Christo & Apostolis expressam, intelligi oportet. Nec est noua obedientia tantum externa disciplina: sed etiam in corde noua lux, timor Dei, fiducia acquiescens in Deo, & motus ac virtutes nouæ, vt in latrone conuerso, non tantum externa sunt bona opera, confessio peccati sui & iusti iudicij Dei, inuocatio Christi, & obiurgatio socij: sed etiam interna, cuiusmodi sunt agnitio iræ Dei aduersus peccata, ingens dolor animi deplorantis sua scelera, et multiplicem contumaciam, Fides accipiens remissionem peccatorum. Item, vitam æternam propter Messiam fiducia misericordiæ & præsentia Dei in ijs ærumnis, quas sustinebat, dilectio Dei, & propositum obediendi Deo, spes liberationis, patientia subiiciens animum Deo in hac tristi pœna, & aliæ multæ virtutes.

LXXXI.

Et si magna sunt impedimenta bonorum operum in tanta deprauatione naturæ nostræ, & in tantis Diaboli insidijs: tamen Euangelium monstrat, quomodo fieri possint bona opera, & docet de præsentia Filij Dei in Ecclesia, & de auxilio Spiritus sancti, qui omnes virtutes necessarias iuxta Decalogum in renatis inchoat: vt Galat. 5. fructus Spiritus recensentur, qui nihil aliud sunt quam conformitas cum lege Dei. Cum autem in

F ij hac

hac vita renati accipiant tantum primitias Spiritus sancti, non est nouitas integra, sed perficietur in secura aeternitate, ubi Deus erit omnia in omnibus.

LXXXII.

Pie ac erudite quidam ex veteribus dixit, placere Deo opera προηγουμένης πίστεως, quod nos dicimus, prae lucente fide. Sic autem Fides praelucere debet, ut haec tria complectatur, Primum statuamus recipi & placere personam propter Filium Dei mediatorem GRATIS fide, non propter dignitatem propriam.

Deinde agnoscamus nos nequaquam satisfacere legi Dei, & adhuc circumferre peccata, & hanc nostram infirmitatem veris gemitibus deploremus. Denique sciamus tamen postulare Deum, ut sit in nobis inchoata obedientia, & hanc ei placere in reconciliatis propter Mediatorem: imò fieri cultus Dei & sacrificia Deo grata.

LXXXIII.

Barbarica & Cyclopica vox est, dicere, Deum non curare bona opera, aut etiam perniciosam esse bona opera, seu officere salutem: Et deploranda est prophanitas huius seculi, quae sumit sibi licentiam furenter laxandi frenos, quibusuis cupiditatibus. Opponendae sunt autem causae verae necessitatis bonorum operum. Diserte Paulus inquit: Debites sumus, ne secundum carnem viuamus, significans aeterno & immoto ordine homines Deo ad obedientiam obligatos esse. Ideo enim conditi a Deo, ideo per Filium redempti sumus, ideo sanctificamur per Spiritum sanctum, non ut indulgeamus peccatis contra Deum, aut ut confirmetur licentia omnium scelerum, sed ut Deum celebremus, & ut peccatum & mors ipsa deleantur in homine, & inchoentur aeterna vita, & aeterna lux, sapientia & iustitia in homine, & homo rursus fiat templum Dei, Consideranda est etiam necessitas retinendae

nendæ fidei, vitandæ poenas & scandala. Nam lapsibus
contra conscientiam effunduntur hæc summa bona, Remissio peccatorum, reconciliatio, Spiritus sanctus, & vita æterna, & accersuntur poenæ temporales & æternæ, & multiplicibus scandalis contaminatur Ecclesia.

LXXXIII.

Promissiones etiam de præmijs bonorum operum cogitandæ sunt, quæ etsi sua natura legales sunt, Quia non dantur præmia, nisi præstanti obedientiam à Deo præceptam: tamen propter Euangelium ratae sunt, etiam si languidè inchoata est aliqua cum lege Dei conformitas. Sed his promissionibus Euangelium simul adiungit exceptionem castigationis & crucis, nec conciliatio horum, vt iudicant homines, contrariorum, videlicet promissionis bonorum corporalium & prædicationis de cruce aliunde, nisi ex Euangelio, discitur. Nec consolationes in cruce salutes ex lege, sed ex Euangelio petendæ sunt, quod quidem & docet promissionem gratiæ semper fide retinendam esse, etiam cum bona corporalia amissa sunt, sicut tandem in morte amitti omnia necesse est.

LXXXV.

DE CONVERSIONE.

Complectamur autem hoc loco & summam veræ & necessariæ doctrinæ de poenitentia seu Conuersione, quæ vsum Legis & Euangelij ostendit, & iuramento diuino sancita est: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Hanc doctrinam necesse est semper sonare in vera Ecclesia. Quia in omnibus hominibus hæret peccatum. Ac vt sancti suas sordes habent, Ita multi alij polluti sunt sceleribus contra conscientiam. Ideo & Deus ipse assidue concionatur de poenitentia in poenis priuatis & publicis, & aliqui

liberentur ab aeterno exitio, præcipua vox Dei est in Ec-
clesia; Agite poenitentiam, & credite Euangelio.

LXXXVI.

Ingens furor est Anabaptistarum & aliorum fa-
naticorum, qui contendunt renatos non posse labi, aut
certè non effundere Spiritum sanctum, & rursus fieri
reos iræ Dei, etiamsi violent præcepta Dei contra con-
scientiam: Cùm non solum dicta cœlestia; sed etiam
exempla scripturæ manifestè refutent hanc amentiam.
Certum est Adam & Euam amisisse gratiam, & illam
præstantiam donorum, quam habuerunt. Aaroni Deus
horribiliter irascitur, propter fabricationem vituli aurei.
Saul à Deo auulsus in aeternum ruit exitium. Dauid,
Petrus & alij non sine ingenti lucta & certamine ad
Deum rursus conuertuntur. Et nota est grauißima Pau-
li concio: Qui stat, videat ne cadat. Et illa Petri oratio:
Si cùm effugerint contaminationes mundi, per agnis-
tionem Domini, & seruatoris nostri Iesu Christi, his rur-
sus implicantur, fiunt eis nouissima deteriora prioribus.
Et Apocal. 2. Memor esto ynde lapsus sis, & poeniten-
tiam age.

LXXXVII.

Manifestus error est Catharorum, qui negantes
lapsis post Baptismum remitti peccata, non solum more
Sacerdotis vel Leuitæ, vt Cypriani verbis vtamur, iac-
centem vulneratum prætereunt, sed ingeniosa ac noua
crudelitate sauciatum potius occidunt, adimendo spem
salutis, denegando misericordiam Patris, respuendo poe-
nitentiam fratris. Etsi autem occasio erroris nata esse vi-
detur ex lapsibus quorundam, qui in persecutione abie-
cerant confessionem: Tamen rectè damnatus est hic er-
ror in Synodo Nicena, in qua & Constantinus Impera-
tor falsè hoc dicto reprehendit arrogantiam Acesij No-
uatianorum

uarianorum Episcopi, qui falso fingebat se & suos sine peccato esse: Scelas Acesi admoue, & solus in coelum ascende.

LXXXVIII.

Plena est vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica testimoniorum, quæ non modo iubent lapsos redire ad pœnitentiam, sed etiam affirmant, Omnes quicumq; ad Deum conuertuntur, quantiscunq; sese flagitijs prius contaminarint, certò propter mediatorem recipi, vt Esaias inquit: Desinite peruersè agere, & discite benè agere: si peccata vestra fuerint vt coccinum, & vt vermiculus, eritis candidi vt nix & lana. Et 1. Iohan. 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis: Quòd si quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propiciatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed etiam totius mundi. Sic primi parentes, sic Dauid, Manasse, Petrus & alij innumerabiles post horrendos lapsus iterum consecuti sunt peccatorum remissionem. Et Paulus non solum Corinthium incestum iubet recipi, post pœnitentiam: sed etiam Galatarum Ecclesiam, quæ lapsa erat, ad pœnitentiam reuocat.

LXXXIX.

Fatendum est aliquod esse peccatum irremissibile, quod Christus blasphemiam aduersus Spiritum sanctum nominat, quæ est contra conscientiam oppugnare agnitam veritatem à Deo patefactam, vel perseuerare in impœnitentia vsq; ad extremum, vel finaliter in desperationem ruere: Hæc enim peccata extremè pugnant cum gratia, vel potius repudiant ac contemnunt omnem gratiam Dei. Non est autem peccatum blasphemie in his, qui redeunt ad pœnitentiam: Quia certum est, non habere peccatum irremissibile eos, quicumque
manda

mandato, & promissioni Euangelij obtemperant, & agunt pœnitentiam, & audiunt Filium, credunt se propter Filium recipi.

XC.

Etsi vocabulum pœnitentiæ Grammaticis significat improbare, id quod antea mens probabat, & hæc significatio magis congruit ad contritionem, quàm ad fidem: tamen nos reiectis λογوماχίας sic nominamus totam conuersionem, in qua sunt duo motus: Mortificatio & viuificatio, seu dolores & consolatio. Repudiamus igitur veteres definitiones, quæ & mutilæ sunt & impropriæ, & insulis interpretationibus magis corrumpuntur: Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere: Item: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, punientis in se, quod dolet se commisisse. Iudicamus autem & veriolem & rectiorem esse hanc definitionem in nostris Ecclesijs vsitatam: Pœnitentia seu conuersio ad Deum est expauescere & dolere agnitione iræ Dei aduersus peccata nostra, & rursus erigi fide accipiente remissionem peccatorum fiducia Filij Dei, & in hac fide inchoare nouam obedientiam.

XCI.

Præcipue partes atq; membra sunt in pœnitentia, Contritio & Fides. Has quia necessariò sequitur noua obedientia, rectè nominamus eam vel fructum pœnitentiæ, vel tertiam conuersionis partem. Volumus enim vsitatam partitionem bono consilio traditam dextrè ac sine calumnijs intelligi. In primis autem in conuersione mentionem fidei debere fieri, nec omitti posse affirmamus: Quia finis veræ pœnitentiæ est remissio peccatorum, Nec pœnitentia sine absolutiõe, id est, promissione remissionis peccatorum aliud, quàm Ethnica Tragœdia expers omnis veræ consolationis, aut recta & compendiaria

diaria ducens ad æternum exitium: Neq; verò accipitur
vel remissio peccatorum, vel absolutio, quæ est ipsa vox
promissionis Euangelicæ, nisi hac fide, de qua Paulus lo-
quitur Roma. 4. cum docet promissionem fide appre-
hendi. Et manifestum est, conscientias non relinquen-
das esse in dubitatione, quæ aut contemptum Dei parit,
aut desperationem. Non igitur Fides obruenda est, vel
silentio, vel sophismatum prestigijs, quoties de pœniten-
tia homines docendi sunt.

XCII.

Nominamus contritionem, vt Ecclesia vsitatè lo-
quitur, pauores conscientiaë agnoscentis iram Dei ad-
uersus peccata nostra, & dolentis quòd Deum offendit-
mus. Et quanquam non potest gradus talium dolorum
& pauorum constitui, cum in alijs magis, in alijs minus
acres sint: tamen fatemur aliquos veros dolores esse
oportere in his, qui conuertuntur. Nec disputandum est,
an sit sufficiens dolor, quia non pendet remissio ex meri-
to aut magnitudine doloris: sed certissimum est, nullum
esse sufficientem dolorem, Ac cum crescit dolor sine con-
solatione, homo ruit in æternum exitium.

XCIII.

Discrimen considerandum est inter timorem Dei
seruilem & filialem, seu inter contritionem Iudæ & Pe-
tri. Est enim seruilis timor, fuga & fremitus aduersus
Deum sine Fide, vt in Saule, Iuda, Cain. Sed timor filia-
lis est verus pavor & dolor animi consternati sensu iræ
Dei & metu pœnarum, ad quem accedit fides, quæ in-
ter pauores erigit & consolatur corda, & accedit ad De-
um, petit & accipit remissionem. Talis est sanctorum
contritio, deinceps etiam in tota vita. Fit enim in his
opus Deo placens, & cultus Dei, iuxta dictum Psalmi:
Complacitum est Domino super timentibus eum, & in

G his

his qui sperant super misericordiam eius: Item, Sacrificium Deo spiritus contritus. Nec audiantur ociosae disputationes Sophistarum, de amore iusticiae, & timore poenae, cum certum sit, mixtos esse hos ingentes motus, etiam in sanctis, timorem, sensum poenae, & fidem accedentem ad Deum: Et quanquam hi motus literis & vocabulis discerni possunt: tamen re ipsa non ita diucluntur, vt historia Ionae, & omnium Sanctorum experientia ostendit.

XCIII.

Fides, vt Paulus loquitur, est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc promissioni gratiae, & est fiducia promissae misericordiae, qua cor propter Mediatorem, & per eum, liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad DEVM, & inuocat eum, clamans: Abba Pater, & hac vera consolatione acquiescit per Filium, dato Spiritu sancto. De hac vera Fide, quae non est ociosa speculatio, sed verè sentitur in credentibus, praclare dixit Bernhardus: Necessè est primò omnium credi, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde & hoc, vt credas, quòd per ipsum TIBI peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens: Remissa tibi sunt peccata: Sic enim arbitratur Apostolus: Gratis iustificari hominem per fidem.

XCIV.

In omni verò agone & in perpetuis exercitijs Fidei & inuocationis animi nostri anguntur de duabus potissimùm rebus: de dignitate & particularitate. Hanc luctam nisi fides vincat, non fit vera conuersio. Quare tentationi de indignitate nostra necessè est opponi particulam GRATIS. Omnes sumus indigni, Nec quisquam

quam recipitur aliter, nisi per Filium DEI gratis. Non igitur magnitudine aut multitudine peccatorum depellamur à Deo, sed teneamus hoc dictum: Gratia exuberat supra peccatum. Disputationi verò de particularitate, quæ est sæua carnificina conscientiarum, opponenda est particula vniuersalis, multoties repetita in promissione, & confirmata iuramento Dei, & sancita mandato Dei, in quo nec προσωποληψία, nec contradictoriæ voluntates sunt.

XCVI.

Cùm in serua contritione remissio peccatorum fide accepta est, immutabiliter sequi debet, noua obedientia, quæ propriissimè est iuxta Pauli definitionem: Militare bonam militiam, retinere fidem, & bonam conscientiam. Etsi autem hæc obedientia in hac vita semper imbecillis est, & multis sordibus contaminata: tamen necesse est, esse in singulis bonum propositum & crescere inchoatam obedientiam. Quia Deus non solum præcipit, vt obediamus, sed etiam misit Filium, vt obedientia restituatur in nobis, non vt confirmetur regnum peccati. Ideo & Paulus grauissimè inquit: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.

XCVII.

Totum opus conuersionis solius Dei beneficium est, sicut Propheta clamat: Conuerte me Domine, & conuertar, Quia tu Dominus Deus meus, postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam &c. Sed hunc ordinem sanxit Deus, vt in nobis fiat conuersio, Deo per verbum trahente, ac mouente voluntatem ne repugnet, neue expectet coactionem, sed vt comes sit Spiritus sancti eam ducentis, vt Roma. 8. dicitur: Nam donec omninò repugnat voluntas Deo trahenti, nulla fit conuersio. Ideo semper Ecclesiæ nostræ docuerunt conuersionem

G ij

sionem

tionem fieri iuxta veterum dicta: præeunte gratia, comi-
rante voluntate. Item, ἔλκει μὲν ὁ θεὸς, βυλόμενον δὲ ἔλκει.
Et Nazianzenus verecundissimè dixit: πᾶρ τὸ κατορθώ-
μενον παρὰ θεῶ ὅτι, δέδοται δὲ τοῖς καλαμύοις καὶ οὕτω
νέυσσι.

XCVIII.

Damnamus Manichæorum deliria, qui dixerunt
propter diuersam materiam alios posse conuerti, alios
non posse conuerti. Expresse etiam improbamus Pela-
gianorum errorem, qui in immensum amplificant vires
humanas, & extenuant beneficia Filij Dei & Spiritus
sancti, & voluntati hominis tribuunt efficaciam sine
Spiritu sancto. Reijcimus & Enthusiasticas imaginatio-
nes, quæ fingunt manendum esse in securitate, diffiden-
tia, & fremitu aduersus Deum, donec rapi & cogi te sen-
tias, vt cōuertaris & credas. Deniq; & Stenkefeldianos
& Anabaptisticos furores execramur, qui contendunt,
Deum communicare se hominibus sine ministerio seu
cogitatione doctrinæ. Contrà vero in conuersione sem-
per concurrere hæc tria dicimus: Verbum Dei, Spiritum
sanctum, & voluntatem hominis assentientem &
non repugnantem verbo Dei.

XCIX.

Fatemur valdè multa fieri à solo Deo in collectione
& gubernatione Ecclesiæ: Et in omnibus sanctis multos
esse magnos dolores de peccatis, & de pœnis proprijs &
publicis, & rursus mirandas consolationes & motus
singulares in actionibus, quæ sunt propriae vocationum
vniuscuiusq;: Item multas mirandas liberationes &
euentus, in quibus Deus multa sic agit, vt voluntas hu-
mana se tantum vt subiectum patiens habeat: vt 2. Cor-
inth. 1. dicitur, Excellenter onerati fuimus supra vires,
vt desperaremus de vita, & quidem ipsi in nobis responsu-
sum mortis habuimus, ne confidamus in nobis, sed in
Deo,

Deo, qui exuscitat mortuos, qui ex tanta morte nos liberauit & liberat: Et Iere. 10. Scio Domine, quod non est hominis via eius &c. Sed tamen in communibus exercitijs conuersionis, Fidei, inuocationis & obedientiae erga Deum, voluntas humana, quatenus sanari coepit, comes est Spiritus sancti, agentis per verbum, nec cum adiuuatur à Spiritu sancto, habet se vt truncus aut scopolus.

C.

Ingens confusio & inextricabiles Labyrinthi disputationum fuerunt de poenitentia apud Pontificios, quae vt primam ἀφορμὴν praebuerunt repurgationi doctrinae Euangelij ante annos quinquaginta diuinitus factae: sic propter hanc ipsam causam considerandae sunt, vt Deo aeterno, Patri Domini nostri Iesu Christi gratissimus, pro hoc immenso beneficio, quod Ecclesiae senescenti puram Euangelij doctrinam restituit.

CI.

Vt Tragoediae constant Protasi, Epitafi & Catastrophe: ita tres actus poenitentiae à Pontificijs Doctoribus constituti sunt: Contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis. De contritione duos grauissimos errores habuerunt: Oportere contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam seu remissionem peccatorum: Cum autem nemo sciat, quando contritio sit sufficiens, imò cum nulla animi contritio sufficiens esse possit, necesse fuit animos relinqui in perpetua dubitatione, an habeant remissionem peccatorum, & an placeant Deo. Haec carnificina conscientiarum multipliciter impediuit fidem & inuocationem.

CII.

De confessione docuerunt enumerationem singulorum delictorum, ac praesertim arcanorum facien-

dam esse administrantibus Sacramenta, & tria horribilia mendacia addiderunt, quod enumeratio mereatur remissionem propter ruborem & verecundiam, quod recitatio sit necessaria, vt possit indici satisfactio, & quod remissio pendeat ex conditione enumerationis, quam dixerunt diuinitus preceptam esse. Hæ opiniones non solum laquei fuerunt conscientiarum, vt constat multos ambigentes, An satis pure confessi essent, in magnis mœroribus fuisse: Sed etiam gloriam Filij Dei multipliciter obscurant,

CIII.

Prorsus etiam falsas esse animaduerti inde potest, quod manifestum est, enumerationem omnium vel paucorum delictorum non esse preceptam iure diuino: Deinde & impossibilem esse. Quia valde multa sunt peccata ignorantia, & omissionis, quæ homines non intelligunt, nec meminerunt, vt Psalmus inquit: Delicta quis intelligit? Recte etiam Chrysostomus dixit: Si pudet alicui dicere peccata tua, dicito ea quotidie in anima tua: Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt tibi exprobet: Dicito Deo, qui sanat ea.

CIIII.

Retinemus in nostris Ecclesijs petitionem priuatæ absolutionis, non vt stabiliamus errores Pontificios de confessione: sed propter alias grauissimas causas: Quia cum absolutio sit vox ministerij Euangelici, priuatim applicans remissionem petenti, illustre testimonium est, Euangelij vocem, & multis & singulis, qui ad Deum conuertuntur, & consolationem petunt, annunciare remissionem peccatorum, iuxta dictum: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis. Deinde retento ritu priuatæ absolutionis magis in Ecclesia conspicitur discrimen Legis & Euangelij, & ostenditur testimonium

nium ipsis exemplis, quod in Euangelio mandatum traditum sit de recipiendis lapsis, qui fatentur se reos esse, & ad Deum redeunt vera poenitentia, sicut Petrus Alexandrinus hunc ritum citauit contra Nouatianos. Possunt & rudiores in mutuo illo colloquio erudiri & explorari, an intelligant doctrinam Ecclesiae propriam, & si qui in sceleribus contra conscientiam contumaciter perseuerant, moneri aut arceri possunt, ne sanctum proijciatur canibus, & margaritae porcis.

CV.

Horrendum chaos est errorum de satisfactionibus, quas apparet ortas esse partim ex ignorantia historiarum, partim ex confusione disciplinae externae, & iusticiae Spiritus. Fuerunt in prima Ecclesia usitata spectacula publicae poenitentiae, quam sic nominarunt, haud dubie accepta a sanctis Patribus, qui vixerunt etiam ante diluuium. Nam polluti atrocibus & manifestis sceleribus, propter quae fuerant excommunicati, cum redituri ad Ecclesiam petebant se recipi, collocabantur in loco certo templi in conspectu populi, cum signis reatus. Hic ritus non merebatur remissionem peccatorum coram Deo, neque culpae, neque poenae, sed commonefactio erat apud alios homines, ut essent diligentiores in cauendis lapsibus, & cogitarent de magnitudine peccatorum. Erat & exploratio, quae ostendebat istos serio petere veniam. Graeci haec spectacula nominarunt ἐπιτιμία, id est, multas seu castigationes, sed postea superstitione creuerunt ritus, & Monachi, quia fontes ignorabant, portentosas opiniones de satisfactionibus finxerunt. Affirmant remitti quidem culpam propter contritionem & confessionem sufficientem: Sed poenas aeternas mutari in poenas temporales, & harum partem remitti potestate clauium, partem redimendam esse satisfactionibus, quarum multos gradus constituerunt.

Fals

CVI.

Falso fingebant opera quædam indebita, id est, non mandata lege Dei, vt peregrinationes, rosaria, ieiunia certorum dierum, & similes ludos. Deinde hortatores erant multis, vt in collegia Monachorum cooptarentur, vt ex ea fraternitate, quam magna pecunia redimebant, participes essent meritorum, quibus Monachorum sodalitia abundarent. Præterea Pontifex Romanus certo precio distribuebat Indulgentias, easq; affirmabat esse applicationes meritorum, quibus sancti mortui prodesse alijs. Comminiscebantur & ignem purgatorium, quem tamen fatebantur non esse æternum. Deniq; vigilijs & Missis funebres excogitauerunt, quibus ex purgatorio redimerentur animæ.

CVII.

Has fabulas Monachorum constanter reiſcimus, ac retinemus regulam firmissimam. Pœnas æternas simul cum culpa remitti, propter Filium Dei, non propter illas nostras compensationes. Nam mors Christi non tantum est satisfactio pro culpa, sed etiam pro æterna morte. Quanquam verò remissio culpæ distincta est à remissione pœnarum temporalium huius vitæ, vt Adam, Dauid, accipiunt remissionem culpæ, & tamen simul subiſciuntur pœnis in hac vita: tamen hæ pœnæ nequaquam sunt compensationes, aut merita pro pœna æterna.

CVIII.

Etiam si sustinent conuersi pœnas temporales: tamen hæ prorsus nihil pertinent ad potestatem clauium, nec imponuntur, nec remittuntur potestate clauium, vt res ipsa ostendit, nec mortē, nec morbos, nec bella imponi, aut tolli posse à ministris Euangelij: sed Deus ipse his ærumnis tanq; signis reatus circumdari nos sinit, vt nos ipsos & alios de iudicio suo aduersus peccata admoneat.

Nec

Nec tamen omnes calamitates certorum delictorum
pœnæ sunt: sed multæ aliæ sunt causæ, cur sancti & tota
Ecclesia in hac vita subiecta sit cruci & calamitatibus.

CIX.

Verum est, propter totam conuersionem mitigari
pœnas corporales, aut prorsus remitti, vt Paulus inquit:
Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur à Domino:
Sed nec æternæ nec corporales pœnæ tolluntur per ex-
ternas illas & simulatas Tragœdias, quas nominant sa-
tisfactiones Canonicas. Nec sunt hæ vanissimæ vmbrae
cultus Dei, cum scriptum sit: Frustra colunt me manda-
tis hominum.

CX.

Impudentia est etiam manifesta, quod dicunt, Mo-
nachos sic affluere meritis bonorum operum, vt cum
alijs partem illorum communicare possint, Plena est vi-
ta monastica idolatriæ & hypocriseos. Et sancti omnes
fatentur se nec propria peccata posse tollere, cum quoti-
die orare cogantur: Remitte nobis debita nostra.

CXI.

Manifestum & hoc est: Applicationem indulgen-
tiarum, qua Papa alijs applicat merita sanctorum, qui ex
hac vita discesserunt, commentitiam esse, & indulgen-
tias olim nihil fuisse, nisi laxationes ἐπιτιμίων, seu specta-
culorum publicæ pœnitentiæ. Denique vanissimum com-
mentum est, natum ex somnijs Ethnicis, & confirma-
tum à spectris, quod contra verbum Dei fingitur de
Purgatorio, & de Missis funebribus & venalibus: In
quibus multiplex est idolatria & impietas.

CXII.

DE ECCLESIA.

Postquam summam doctrinæ de essentia & vo-
luntate Dei recitauimus, deinceps & commonefactio-
nes

H nes

nes necessariae addendae sunt de Ecclesia. Semper in tantis confusionibus opinionum, cultuum & morum, quaesiverunt & quaerunt multi: An sit aliqua Ecclesia Dei distincta à cæteris gentibus, & quæ, & ubi sit, praesertim cum in eo ipso coetu, qui nomen Ecclesiae sibi tribuit, multiplicia scandala sint in conspectu, quæ horribiliter perturbant animos intuentium.

CXIII.

Aduersus has dubitationes & commonefactionis & consolationis causa propositus est articulus in Symbolo: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Hac professione affirmamus non esse abiectum à Deo totum genus humanum, sed inde usque ab initio fuisse, esse, & mansuram esse aliquam veram Dei Ecclesiam.

CXIIII.

Est autem Ecclesia in hac vita, visibilis coetus amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & recte utentium Sacramentis: in quo Filius Dei verè est efficax, & multos regenerat voce Euangelij, & Spiritu sancto, & facit hæredes vitae aeternae: In quo tamen coetu multi sunt non sancti, sed de vera doctrina consentientes.

CXV.

Prorsus reiicimus falsam imaginationem eorum, qui architectantur Ecclesiam sine Euangelio & sine Filio Dei, & quaerunt extra coetum vocatorum hæredes vitae aeternae & domicilia Dei. Nequaquam est Ecclesia in eo coetu, ubi nec notitia est promissionis de Christo, nec vox, nec ministerium Euangelij. Ideo non sunt membra Ecclesiae Aristides, Scipio, & similes ignari promissionis de Christo, etiamsi habeant excellentes virtutes, quas Deus dat propter imperia, tantisper dum vult genus humanum in hac vita manere. Nec sunt Ecclesia Dei Mahometistæ, Iudæi recentes, & alij, qui vel scripta
Prophete

Prophetica & Apostolica, vel utrorumq; authoritatem palam reiiciunt. Nec nisi hostes Ecclesiae sunt Pontificij, qui quanquam iactitant se retinere scripta Prophetica & Apostolica, tamen manifesta Idola & impia dogmata defendunt.

CXVI.

Non fingimus Donatistarum more Ecclesiam, in qua prorsus nihil sit vitij aut infirmitatis. Semper in Ecclesia multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto, & electa, quae nominantur viua membra Ecclesiae. Alij sunt autem non sancti, qui nominantur mortua membra, si tamen de vera doctrina consentiant. Possunt autem & sancti habere aliquos errores; sed non euertentes fundamentum, id est, articulos Fidei, sicut Paulus inquit: Supra fundamentum extruunt alij aurum, alij stipulas. Et in his postquam veritas patefacta est, sancti sunt dociles: sed qui pertinaciter defendunt Idola, & errores pugnantes cum mandatis diuinis, & articulis Fidei, praesertim patefacta veritate, non sunt membra Ecclesiae Dei.

CXVII.

Signa non fallentia, quibus agnosci potest Ecclesia, sunt haec tria: Doctrinae Euangelij incorrupta professio: vsus Sacramentorum conueniens diuinae institutioni: & obedientia debita ministerio iuxta Euangelium. Haec signa auribus & oculis iudicari possunt, quae quidem & necesse est considerari, ut sciamus, cui coetui nos adiungere debeamus. Prorsus enim necesse est omnes homines saluandos iunctos esse cum vera Ecclesia, Fide, confessione, inuocatione Dei, & voluntate seruandae Ecclesiae seu coniunctionis in Ecclesia: Quia non est salus extra Ecclesiam.

CXVIII.

Falso nominant Pontificij signa Ecclesiae Ordinem Episcoporum, Romani Episcopi primatum, & deinde
H ij successio

successionem ordinariam Episcoporum, & similitudinem rituum, qui humana autoritate in Ecclesia instituti sunt. Nequaquam Ecclesia politica est, similis imperiis mundanis, nec alligata est certo loco aut sedi ordinariae: Sed sparsa est in diuersa mundi imperia. Nec ad unitatem Ecclesiae necessaria est similitudo rituum humanorum, in quibus vult Deus libertatem conspici, ne delabantur homines in errores Pharisaicos, & putent tales externas obseruationes esse iustitiam Euangelij.

CXIX.

Necessarias causas habuerunt nostrae Ecclesiae, cur seiunxerint & separarint se à Pontificijs coetibus: Quia regula est vniuersalis: Fugite Idola. Manifesti sunt autem errores & Idola, quae impiè tuentur Pontifices & horum satellites. Non rectè docent de peccato, & de iustificatione, & de fide. Confirmant impium dogma de dubitatione. Non rectè docent, quae opera sint cultus Dei, & quomodo placeant Deo, fingunt homines instituire posse cultus Dei, & eos cultus necessario seruandos esse. Corrumpunt doctrinam de poenitentia. Audacissimè tribuunt Pontificibus auctoritatē transferendi regna, & armant Episcopos potestate interpretandae scripturae & legum ferendarum, Defendunt inuocationes hominum mortuorum: Horribiliter prophanant Coenam Domini, & multiplicem Idolatriam addunt, prohibent coniugia ijs, qui non sunt idonei ad coelibatum: Et haec impia dogmata stabiliunt seuitia, qualem antea nunquam exercuerunt gubernatores, qui non fuerunt Ethnici. Et tamen tanta est impudentia Iesuitarum, & similiarum assentatorum, ut haec scelera praestigijs sophismatum excusare conentur.

CXX.

Quanta confusio est errorum, & quam multiplex est impietas in Coenae Domini prophanatione: Fingunt

gunt conuersionem panis in substantiam corporis Christi, eamque nouis & prodigijs uocabulis nominarunt græcè μεταποίησις, μετασείχωσις, μετασίασις: Latine trans-
 elementationem & transubstantiationem: Postea panem inclusum arculæ, circumferunt non aliter, quam olim Persæ in publicis congressibus Orimasda seu sacrum ignem circumgestare solebāt: Tribuunt & pani siue in sublime elato, siue incluso certis receptaculis inuocationem, quæ est cultus soli Deo debitus. Fingunt Missam esse sacrificiū, in quo necesse sit quotidie offerri Deo corpus Filij, & hac oblatione non solum placari Deum iratum, sed etiam sacrificulos sibi & alijs mereri remissionem peccatorum dicunt: Et quidem addunt eam oblationem mereri ex opere operato, id est, ualere propter operis dignitatem, etiam sine bono motu uentis. Quid quod totam Missam in quæstum transferunt? Docent applicationem fieri etiam ad mortuos homines, & Missas habent uenales. Denique sacrilego more Laicis alteram Coenæ partem eripiunt.

CXXI.

Hæc monstra errorum, & Idola, cum manifesta sint, ardentem Deo gratias agamus, quod reddidit lucem ueræ doctrinæ, & usum legitimum Sacramentorum, & lætemur nos à societate defensionis errorum procul abesse, & magis amemus & foueamus nostras Ecclesias, quas certò affirmamus esse membra Ecclesiæ Catholicæ Dei.

CXXII.

Cum Pontifices & eorum satellites perpetuò obijciant nostris Ecclesijs, tanquam caput Gorgonis nomina Ecclesiæ, Synodorum, consensus Catholici, necesse est certis septis includi auctoritatem Ecclesiæ, Synodorum & scriptorum dicta, ut summa auctoritas maneat uerbi Dei, iuxta Pauli præceptum: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

H iij Iure

CXXIII.

Iure ac meritò detestamur petulantem audaciam, quæ prorsus aspernatur consensum veræ Ecclesiæ, & omnes Synodos sine discrimine, qualis nunc est leuitas, impudentia et malitia Georgij Blandratae, Francisci Davidis, & similibus dogmatistarum, qui ex alto despiciunt omnem authoritatem Ecclesiæ, & sine vlla exceptione reiiciunt omnium Synodorum decreta & orthodoxa Symbola, denique veteres Scriptores probatos contemptim extenuant aut omnino abijciunt.

CXXIII.

Et si Fides non pendet ex vlla authoritate humana, sed nititur ipsius Dei verbo & testimonijs; tamen vult Deus audiri Ecclesiam, quæ Euangelium sonat, sicut dicitur: Dic Ecclesiæ, si hanc non audierit, sit tibi instar Ethnici aut Publicani. Ita Samson inquit: Nisi vitula mea arassetis, non audiuisset. Non audiuisset vocem Euangelij gentes, nisi Ecclesiam populi Israel docentem & testificantem audiuisset. Nam Ecclesia populi Israel testabatur hanc doctrinam à Prophetis & à Christo acceptam esse: Ita postea Catholica, id est, vniuersi orbis, & omnibus temporibus, de doctrina Apostolorum consentiens Ecclesia, testatur eandem doctrinam, quam amplexi sumus, & profiteamur ab Apostolis traditam esse.

CXXV.

Testis est Ecclesia de monumentis Prophetis & Apostolicis. Sed vt non licet testi mutare narrationem, quam recitat: Sic non licet Ecclesiæ, doctrinam horum librorum mutare, quæ quidem aliunde habet authoritatem, scilicet à Deo ipso, qui addit illustria miracula, vt authorem monstrant.

CXXVI.

Vt autem non contemnenda est veræ Ecclesiæ confessio; sic Synodi non sunt omnes sine discrimine reiiciens

reſcienda, quia oportet in Eccleſia iudicia eſſe, & multæ fuerunt piæ Synodi, quæ profuerunt Eccleſiæ. Sed præceptum teneatur: Explore Spiritus, an ex Deo ſint. Conſideretur, quæ dicta Prophetica & Apoſtolica, & quæ teſtimonia purioris Eccleſiæ Synodus ſecuta ſit. Quod ſi quid vlla Synodus decreuit contra mandata diuina, ſeu contra articulos Fidei, neceſſe eſt illud decretum taxari & reſci, Sed cùm agnoſcimus decretum alicuius Synodi cum teſtimonijs Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ ſine ſophiſtica intellectis, congruere, et eſſe veterem & incorruptam Eccleſiæ doctrinam, veritati obtemperandum eſt, & piæ mentes conſeſſio recte ſentientium confirmat.

CXXVII.

Quod de Synodis dictum eſt, id eodem modo de Eccleſiaſticis ſcriptoribus intelligi debet. Eſt enim hi quoque bene meriti ſunt, præſertim quatenus ſunt teſtes veteris & primæ Eccleſiæ Apoſtolorum: tamen alij in alijs materijs fuerunt diligentiores. Et multa ſunt impropriè dicta in ſcriptoribus pijs, vt vix quiſquam tam diſertus & tam circumſpectus eſt, vt vbique vitare poſſit ἀκυρόλογιας. Sæpe & propter temporum conſuetudinem præſentes traditiones durius defendunt. Aliquid etiam falſarum opinionum quosdam habuiſſe apparet, ex contagijs errorum tunc publicè receptorum. Nec rarum eſt alicubi veteres ſcriptores à ſeipſis diſſentire. Quare non ſunt ſine delectu omnia Patrum ſcripta probanda.

CXXVIII.

Semper iudicium ſit penes Propheticam & Apoſtolicam ſcripturam: Et ubicunque vel Synodi vel ſcriptores proponunt aliquid contrarium manifeſtis teſtimonijs Propheticis & Apoſtolicis, anteferatur vox Dei dictis hominum, nec anteferantur dicta hominum doctrinæ Chriſti.

Non

CXXIX.

Non habent Synodi in dijudicatione dogmatum potestatem regiam seu prætoriam. Valet enim sententia Synodorum non propter authoritatem ordinis, sed propter verbum Dei, de quo pñ suam confessionem alijs ostendunt, & ex fontibus ipsis docent, hanc esse perpetuam scripturæ Propheticæ & Apostolicæ sententiam, & non aliam.

CXXX.

Non agnoscimus crimen schismatis, quod petulanter nostris Ecclesijs obijciunt Pontificij: Sed perspicue ac sine ulla ambiguitate affirmamus, nos nec discedere nec discessisse à Catholica Ecclesia, quæ Symbola amplexa est, Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, nec à probatis veteribus Scriptoribus. Expressè etiam affirmamus, nos amplecti piarum Synodorum decreta, cum Symbolis Catholicis congruentia. Abhorremus etiam ab omnibus fanaticis opinionibus, quæ pugnant cum Symbolis. Et in hac vera doctrina verum Deum inuocamus, qui se patefecit misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo & resuscitato. Et vt ipse Filius Dei precatus est: Sanctifica eos in veritate: Ita veris gemitibus nos etiam oramus, vt in plurimorum pectoribus accendat Deus lumen Euangelij, & veram inuocationem, & corda nostra ad veram obedientiam flectat, vt grati ipsum in omni æternitate celebremus,

AMEN.

FINIS.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

VII

6.

PROPOSITIONES,
 COMPLECTENTES
 MMAM PRAECIPVO
 VM CAPITVM DOCTRINAE
 Christianae, sonantis, Dei beneficio, in Aca-
 demia & Ecclesia VViteber-
 gensi.

DE QVIBVS CONFESSIIONEM
 suam edituri sunt ad diem 5. Maij,
 Anno Christi 1570.

- M. Henricus Mollerus Hamburgensis,
- M. Fridericus VVidebramus Pefnicensis,
- M. Nicolaus Selneccerus Noribergensis,
- M. Christophorus Pezelius Plauuensis,
- M. Iohannes Bugenhagius VVitebergensis.

DE IISDEM RESPONDEBUNT
 ad diem 26. eiusdem Mensis
 & Anni:

- M. Casparus Eberhartus Schnebergensis,
- M. Sigefridus Saccus Northusanus,
- M. Iacobus Lechnerus Austriacus,
- M. Iohannes Garcaus VVitebergensis,
- M. Adamus Rotherus Nouoforensis.
- M. Georgius Langenvoit Naumburgensis.

Pro Licentia in Theologia
 consequenda.

VVITEBERGÆ

EXCVSÆ TYPIS IOHANNIS
 Schuuertelij Anno M. D. LXX.

g.

